BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
8
27

Digitized by Google

SANCTI

DIADOCHI

EPISCOPI PHOTICES IN VETERE EPIRO ILLYRICI

capita centum de Perfectione Spirituali.

S. NILI CAPITA CENTVM quinquaginta de oratione ad DEVM.

HESYCHII PRESBYTERI ἀντιῤῥητικὰ καὶ ἐυτικὰ,

SIVE

Doctrina compendiaria binis capitum Centuriis comprehenſa, de ſpirituali Temperantia & cordis puritate, reluctando & orando, comparanda.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,
Sumpt. Franciſci de la Bottiere, in via Mercatoria.

M. DCXXVII.

PERMISSV SVPERIORVM.

ADMODVM

ILLVSTRI ET NOBILISSIMO DOMINO, D. DE PERE'S, ABBATI, ET IN SVPREMA PROVINCIÆ CVRIA Conſiliario, &c.

FRANCISCVS LA BOTTIERE. F.

SI naſcentibus liberis & vitam ſanè auſpicantibus, oriri naſcique noua ſydera, veteres exiſtimauere, maiora maioribus, minoribus minora, quorum fœlici luce illuſtraren-

tur, regerentur auſpiciis, beneficiis locupletarentur: quidni LIBRIS, qui fœtus ingenij ſunt, prodeuntibus in lucem, adprecemur. Auſpices ſtellas, famæ duces, vitæ gubernatrices, conciliatrices animorum? Sanè, Sydera ſint licet tergemina, quæ rurſus exoriuntur, DIADOCHVS, NILVS & HESYCHIVS, proſperum tamen eorum exortum non aliter exiſtimaui fore, quàm ſi NOMINIS TVI (quod eſt coruſco Sydere pulchrius) Titulo Tuteláue, quaſi beatis Aſpectibus eum fortunare velis.

Quanquam quid ego dixi Sydus, ſiue Curiæ, ſiue Eccleſiæ in cœlo Gallico, Germano, Romano lucens, omnibus allucens?

REGIA SOLIS EST Mens tua, Domus tua, Bibliotheca tua, omnium ingeniorum orbis ſtellifer: in quo cœleſtes imagines, in quo Doctrinarum omnium & doctorum hominum Aſtra coruſcant, ita vt non aurea, non argentea, ſed ſtellata omnia videantur. *Stellati plutei, librorum ſtellifer ordo.* Tu verò in medio reſidens complectenſque omnia, lucem omnibus fœneraris, decus addis omnibus, omnibus vitam quodammodò & æternitatem impartiris; vt ad te meritò libri omnes qui Geniũ habent quaſi quidam Ignes ſacri Bonarum mentium, de toto orbe velut ad cœlum ſuum euolare geſtiant. Ibi victuri, ibi lu-

cem accepturi, reddituriqne.

Virtuti igitur tuæ, Doctrinæ tuæ, Pietati tuæ, potius quàm gratitudini cuicunque meæ tribuito, quod hi virtutum ſoles, cœleſtiúmque diſciplinarũ Magiſtri, tuum ſibi dicam an ſuum tibi hoſpitium optauerunt: *Scilicet eſt quoddam quod eos tibi temperat Aſtrum*: Et poſſent alioqui excipere ſi recuſares, cur ergo literarum es totus? cur Muſarum omnium muſarium? Cur denique vocator ipſe tam beneuolus? Macte verò hoc animo, his hoſpitibus. Næ ea quam eis impertieris, æternitas impendetur nomini tuo. Et fulgore literarum viuet & ſplendore virtutum; ac quia præluces eis ma-

gnifi

gnificè, lucebit quoque tibi, quidquid Græca tulit, quidquid Romana vetuſtas. Mihi verò qui lautia illis apud te impetrauero, gratiam rependent tanti hoſpites, ſcio, & quo tibi fuerint gratiores, hoc me tibi facient commendatiorem. Tuis beneficiis auctus, tuis radiis animatus exorior, & veluti naſcor. Quod aliud Sydus allucere mihi velim, quam tuum fœlix & diues? Cui alij quàm tibi dixerim vetus & ſolenne illud, EXORERE ô dilecte Sol? Floſculi ſunt hi conatus mei, tuis fauoribus & aſpectibus aureis procreati: Tibi aperiuntur, tibi ſpirant, te ſpectant, te venerantur vnum, ac quo poſſunt obſequio ſacrum il-

lud tibi carmen accinunt Tuum ſemper. *Vertimur ad ſolem quamuis radice tenemur.*

V.

Cl. N. Q. tuæ A. I. Seruus addictiſſimus,

FRANC. LA BOTTIERE.

FRAN

FRANCISCI TVRRIANI SOCIETATIS IESV, AD DIADOCHVM PROLVSIVNCVLA.

QVo tempore vixerit S. Diadochus, adhuc quærimus. Fuiſſe tamen ex numero veterum patrum teſtis eſt S. Maximus Confeſſor, qui Heraclio Imperatore, & Honorio Pontifice aduerſus Monothelitas certauit, & ſcripſit. Is enim in reſponſis de obſcurioribus locis ſcripturæ S. ad Thalaſſium, huius auctoris meminit, & huius libri, cuius caput centeſimum de igne

purgatorio citat, & interpretatur, id quod auctoritatem Diadochi non parum commendat. Appellat præterea *patrem Diadochum* honoris, vt mihi quidem videtur, & reuerentiæ gratia. Sed & Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus in epiſtola Synodica ad Honoriũ Imperatorem, cuius meminit Photius in Bibliotheca ſua, ideſt, in libris à ſe lectis, Co. 231. Diadochũ cum laude memorat: tãquam antiquũ & probatũ Patrem, his verbis, quæ nos ad verbũ interpretati ſumus. *Legi librum cẽtum capitibus comprehẽſum cum X. definitionibus vice proœmij. Prima fidei, Cogitatio de Deo expers omnis paſsionis. Secunda ſpei, Peregrinatio mentis ad ea, quæ ſperantur. Tertia Patientiæ, Cernere oculis mentis Deum inuiſibilem, perinde vt ſi eſſet viſibilis, atque ita perdurare. Quarta non auari, Ita velle non habere vt alius vult habere. Quinta ſciẽtiæ, Se ipſum neſcire extra ſe poſitum in Deo: Sexta humilita*

militatis, Continua obliuio ſuorum rectè factorum. Septima vacuitatis iræ, Vehemẽs deſiderium non iraſcendi. Octaua caſtimoniæ, Senſus ſemper Deo adhæreſcens. Nona charitatis, Valde eos diligere, à quibus iniuriam quis patitur: Decima perfectæ immutationis, Reputare acerbitatẽ mortis, gaudium in Dei oblectatione. His definitionibus ſubiecta ſunt capita centum: Eſt autem hic liber iis compoſitus, qui ſe ad perfectionem exercent: & iis, qui ipſis actionibus perficientibus exercitati ſunt, ſcientia enim per experientiam percepta, facile verbis docetur. Auctor vero, vt inſcriptio ipſius libri teſtatur, Diadochus eſt, Epiſcopus Photices, quæ eſt in vetere Epiro. Hactenus Photius Conſtantinopolitanus.

Reperi in alio exemplari hanc inſcriptionem, quæ poteſt eſſe vice πϱοχῆς argumentum, & propoſitum explicantis. *Sermones iudicij, & diſcretionis ſpiritualis Diadochi, epiſcopi Photices Epiri, de cognitione & ſcientia, quomo-*

ã 6 do

*do ad perfectionem vitæ, Duce Deo perue-
nire oporteat, vt quiſque noſtrum ſecundum
figuram Euangelicæ parabolæ fructum
feramus.*

SVMMÆ

SVMMÆ

CENTVM CAPITVM SANCTI DIADOCHI, EPISCOPI Photicenſis,

In vetere Epiro illyrici, de perfectione Spirituali.

DE tribus virtutibus, quæ, tanquam Duces, debent antecedere contemplationem mentis ſpiritualem. *Cap. 1.*

Quomodo, & quando homo efficiatur bonus. *Cap. 2.*

De peccato, quando, & quomodo incipiat eſſe. *Cap. 3.*

Quando, & quomodo aſſequamur, vt ſimus ad ſimilitudinem Dei. *Cap. 4.*

Quomo

Quomodo faciendum ſit, vt voluntas ad bonum tantum ſit prompta. Cap. 5.

Quod ſit lumen veræ ſcientiæ, & quid vſus huius luminis in mente efficiat. Cap. 6.

Quid efficiat ſermo ſpiritualis, & quod exercitatio charitatis afferat facilitatem, & copiam ad loquendum de Deo. Cap. 7.

Quomodo accedendum ſit ad loquendum de diuinis rebus. Cap. 8.

De chariſmate cognitionis, & chariſmate ſapientiæ: quomodo vtrunque illuminet: & quomodo vtrunque acquiratur. Ca. 9.

Quid curandum, cum iraſcibilis mouetur aduerſus paßiones: & quid faciendum, ne paßiones per orationem, vel per eleemoſynam ſedatæ ſuperbiam gignant. Cap. 10.

Cur ſapientia ſpiritualis non ſit ambitioſa: ſapientia vero huius mundi ſit: & vnde exiſtat hæc proprietas ſapientiæ ſpiritualis. Cap. 11.

Di dilectione ſui, & amore Dei, & quid ſit proprium amantis Deum, & quid diligentis ſe. Cap. 12.

Quomodo

Quomodo contingat aliquando, vt aliquis videatur ſibi non diligere Deum, vt vellet, cum tamen tunc maxime diligat, & vnde hoc proueniat. Cap. 13.

De eo, qui in ſenſu cordis Deum diligit, & quomodo iſte ad ecſtaticum amorem veniat, iam totus extra amicitiam ſui poſitus. Cap. 14.

Quando incipiat aliquis diligere proximum: & quare amicitia ſecundum carnem citò diſſoluatur, amicitia verò ſpiritualis minime. Cap. 15.

De amore erga Deum in ſenſu cordis, quomodo acquiratur: & de perfecta charitate, ſine timore Dei, purgante, & altera charitate non perfecta coniuncta cum timore purgante. Cap. 16.

Quomodo anima ægrota, per metum Dei incipiat curari & paulatim ad perfectam ſanitatem per charitatem perduci. Cap. 17.

Quomodo anima, quandiu eſt curis mundi inuoluta, non poſſit Deum amare, neque quod ſui officij eſt erga eum rectè di-

dic-

dicare. cap. 18.
…æ ſint propria animæ puræ. Cap.19.
…od neceſſariò ad fidem opera; & ad opera adiungenda ſit fides. Cap. 20.
…alis ſit fides ſine operibus, & qualis fides per dilectionem operata. Cap. 21.
…non ſcrutando curioſe profundum fidei. Cap. 22.
…ando mens non poſsit ſentire ſenſu cordis, ſiue guſtu animæ odorem cæleſtium bonorum, licet id vehementer deſideret. Cap. 23.
…duplici ſenſu corporis, & mentis: & quomodo ſenſus mentis excitandus ſit ad guſtandum cæleſtia. Cap. 24.
…vno ſenſu animæ ſecundum operationem in ſtatu innocentiæ, & diuiſo poſt peccatum, & de ſenſu ſimplici animæ à Spiritu Sancto. Cap. 25.
…omodo oporteat perturbationibus carere, ad diſcernendas cogitationes, vtrum à Deo ſint miſſæ, an à Dæmone. Cap. 26.
…pauci ſint, qui peccata ſua perfectè agnoſcant: & quid faciendum ſit, vt hoc facere

facere poſsimus. Cap. 27.
Quando Spiritus ſanctus animam purget, & quid ſit, Spiritum Sanctum extinguere, & contriſtare. Cap. 28.
De vno ſenſu mentis ante peccatum: & diuiſione eius propter peccatum, & quando appetitus irrationalis cum rationali coniungatur, & conſentiat. Cap. 29.
Quomodo, & quando ſenſu mentis diſcernantur conſolationes veræ à falſis. Cap. 30.
De falſa conſolatione Satanæ per quietem ſomni immiſſa: & quomodo mens per memoriam feruentem nominis Ieſu, eam diſcutit, & Satanam fugat. Cap. 31.
De bona conſolatione animæ, quomodo tum per vigiliam, tum per quietem ſomni exiſtat, & quomodo per falſam conſolationem nitatur Diabolus fallere animam in ſomno. Cap. 32.
Quomodo vera lætitia Spiritus Sancti à falſa dæmonis dignoſcatur: & quando Diabolus aggreditur decipere per falſam conſolationem. Cap. 33.
De

De duplici charitate, naturali, & ſpirituali; & de vtriuſque conditione. Cap. 34.

De gratia Dei, quomodo ſola omnes animi motus turbidos tranquillet. Cap. 35.

Quō anima, & quando poſſit ſentire gloriā Dei, & de fallacia Diaboli oſtendentis lumen, vel aliquid ſplēdoris ſimile. Cap. 36.

De ſomniis à Deo miſſis, & à Dæmone, & de eorum differentia. Cap. 37.

De virtute non credendi vllis ſomniis. Cap. 38.

Exemplum ad intelligendum, quomodo nemini exprobret Deus, quòd ſomnio ab eo miſſo non credat. Cap. 39.

Quando anima poſſit lumen quod in ſe habet, videre: & quando ſe Satanas transfiguret in Angelum lucis: & quid potiſſimum in vita Monaſtica ſtudendum ſit, vt quamuis in mundo ſimus, peregrinemur à mundo. Cap. 40.

De obedientia, quomodo ſit maxima virtutum & ianua charitatis, & vias cæterarum virtutum demonſtret. Cap. 41.

Quomodo oporteat continentem eſſe in omnibus,

nibus, ita, vt non ſolum virtutes corporis comparandæ ſint, ſed virtutes, quæ hominem interiorem purgent. Cap. 42.
De vtilitate & modo ſeruandi continentiam in victu. Cap. 43.
Quo effici poßit, vt ciborũ iucunditas, & cæteræ voluptates libenter reſpuãtur. C. 44.
De nimia continentia victus fugienda propter firmitatem corporis, quæ opus ſit ad certamen ſpirituale. Cap. 45.
De ratione victus ſoliti temperanda, ſine vitio vanæ gloriæ, aut incontinentiæ, per moderatam indulgentiam ad aduentum fratrum, aut aliorum hoſpitum. Cap. 46.
De ieiunio, & cæteris virtutibus corporalib. quo ſint inſtrumenta quædam, quæ per ſe ſola non habeant gloriã apud Deum, niſi referantur ad finem, qui eſt pietas. C. 47.
De vtilitate temperati victus ad fructum ſpiritualem animæ, Cap. 48
De intemperantia victus, quomodo ad libidinem prouocet: & de remedio, & eiu ratione. Cap. 49
De luxuria mixti potus, & quantopere ea
qu

quæ cum vino miſcentur, fugienda ſint ab iis, qui volunt eſſe ſpirituales. Cap. 50.
Quid Dominus docere voluerit, bibendo in cruce acetum ex ſpongia circumpoſita hyſſopo. Cap. 51.
De balneatione fugienda ſpiritualibus, & quare. Cap. 52.
Quare opus ſit in cœnobiis vocare medicum ad curationem morbi: & quid faciendum ſit iis, qui ſolitariam in eremo degunt vitam. Cap. 53.
Quid indicet ferre moleſte morbum, & quid rurſus non ferre moleſte. Cap. 54.
Quid faciendum ſit, vt non delectetur anima vſura huius lucis; ſed potius deſideret à corpore ſeparari. Cap. 55.
Quomodo vti ſenſibus corporis immoderatè faciat difficilem memoriam Dei, & mandatorum eius: & quomodo cauendum ſit hoc malum. Cap. 56.
Quomodo, qui ambulat ſpiritu, neſcit deſideria carnis; ac fruſtra Dæmon eius caſtitatem tentet. Cap. 57.
De

De acedia,quæ ſolet aliquando poſt repudia-
tas voluptates corporis contingere,qualis
ſit,& quomodo expellenda. Cap.58.
Quomodo mens reddi poßit certa de ſtudio,
& diligentia ſua in ſpirituali certamine
per memoriam continuam,& feruentem
nominis Ieſu in profundo cordis. Cap.
59.
De duplici gaudio,inchoante,& perficiente,
& vſu vtriuſque & de lachrymis mediis
inter vtrumque. Cap. 60.
Quomodo mens, cum perturbata eſt, non
poteſt Dei meminiſſe; & quæ ſit cauſa:
& quomodo mens,cum eſt à paßionibus
libera, ſolertia ſua vtens, & gratia Dei
adiuuante, cito obliuionem Dei expellit,
& recordatur Domini Ieſu.& quomodo
contingat toto iam affectu ad memoriam
Dei, & charitatem excitari. Cap.61.
De ira,quomodo, & quando ea vtendũ:&
quomodo vtiliter à Deo data ſit:& quid
Dominus docere voluerit,quando infre-
muit ſpiritu in morte Lazari:& quomo-
do ſit Eliæ, & currui eius igneo ſimilis,
qui

qui propter ardorem pietatis ira vtitur ſedata. Cap. 62.

Quomodo ſpiritualis non debeat, neque aliis litem intendere, neque ſua in iudicio recuperare. Cap. 63.

De iis, qui cauſam litigandi excuſant, dicentes, non licere dare locum iis, qui res noſtras nobis ad noſtrum victum, & pauperum neceſſarias diripere volunt, & quomodo præſtet, orationi, & cuſtodiæ cordis operam dare, & iniuriam ſuam iudicio alterius ſæculi reſeruare. Cap. 64.

De præſtantia, & vtilitate vendendi omnia, & tribuendi ea pauperibus, & quomodo virtus humilitatis magis, quàm reliquæ virtutes, tanquam mater indulgentiſsima huiuſmodi paupertatem foueat, & recreet. Cap. 65.

De iis, qui dicunt. vnde fiet eleemoſyna pauperibus, qui quotidie noſtris bonis alebantur, ſi omnia ſemel vendiderimus? & de humilitate, quam parit nihil iam habere ad largiendum pauperibus: &

quomo

quomodo quod non poteſt comparari per eleemoſynam, comparabitur copioſius per orationem, & tolerantiam, atque humilitatem, & quomodo qui bona ſua reliquerunt; hi præparant ſe ad recipiendum chariſma ſcientiæ verbi Dei, vt poſſint diuitias regni Dei prædicare. Cap. 66.

De chariſmate theologiæ, & quot, & quanta bona ex ea proficiſcuntur. Cap. 67.

Quæ ſit cauſa, cur mens noſtra difficilis ſit ad orationem, facilis vero, & prompta ad diuinarum rerum contemplationes, & de vtilitate orationis, ad proficiendum in contemplatione. Cap. 68.

Quomodo gratia in principio cum magna voluptate ſpirituali ſoleat animam illuminare: proceſſu vero certaminis ſpiritualis non ita, ita, vt videamur derelicti, & quæ vtilitas inde inſtat, & quomodo iis, qui adhuc ſunt paruuli in certamine ſpirituali, nimius dolor, & nimium gaudium noceat. Cap. 69.

De loquacitate, quomodo animam diſtrahat, & memoria ſui priuet, & quæ cauſa

eius,

eius, & quàm præclara res ſit ſilentium. Cap. 70.

Quomodo, cum quis ea, quæ mundi ſunt, incipit repudiare, tunc incipiãt paſſiones eſſe ei moleſtæ, & inter eas potiſſimum ira & odium: & quomodo melius ſit flere duritiam iniquorum, quam odio eos proſequi, quamuis odio digni ſint. Cap. 71.

De chariſmate ſapientiæ, & de chariſmate ſcientiæ, ſiue cognitionis: & quomodo ſecunda virtus plus valeat ad extirpandas paſſiones, quàm prior: & quare non reperiatur plenè vtraque in ſingulis. Cap. 72.

De oratione vocali, & in corde: cui contingat libentius orare voce: & cui rurſus libentius in corde, & de ſimulachro lætitiæ, quod ſequitur orationem vocalem, & de lachrymis, quæ ſequi ſolent orationem cordis, & poſt lachrymas quædã voluptas animi: & quæ ſit cauſa, & quomodo opus ſit paulo maiore voce Pſalmos canere, cũ animus grauiter languet. Cap. 73.

De

De ardore ſpirituali animæ, & quid inter charitatem naturalem, & ſpiritualem interſit. Cap. 74.

Quando, & quomodo gratia Spiritus Sancti ſeruet animam puram, & liberam à nubulis paſſionum: & quando item, & quomodo ſpiritus erroris tegat eam nubibus peccatorum. Cap. 75.

Quomodo ante baptiſmum ſpiritus veritatis operetur in anima: & quomodo ſpiritus erroris: quomodo item iſti duo ſpiritus operentur poſt baptiſmum. Cap. 76.

Quomodo, & quando incipiat gratia Dei declarare bonitatem ſuam animæ: & quare tunc permittat Deus, vt plus moleſtiæ exhibeant ei Dæmones: & quàm magna inde vtilitas exiſtat. Cap. 77.

Quatenus homo ad imaginem Dei factus ſit, & quid effectum per peccatum Adæ: & quid rurſus per baptiſmum: & quare non poſſint ſimul habitare in homine duo ſpiritus; alter bonus, & alter malus, ſicut nonnulli opinati ſunt: quare poſt baptiſmum relicta eſt duplex voluntas, &

impugnatio Dæmonis. Cap. 78.
Quomodo in profundo cordis, id eſt in mente ipſa habitet gratia Dei: & quomodo ibi nihil poſſit Dæmon operari: & quomodo, & per quas partes operantur Dæmones in anima: & quomodo mens animæ condelectetur legi ſpiritus & de gaudio ſpirituali, vnde & quando exiſtat. Cap. 79.
Quomodo in cordibus fidelium non poſſint ſimul inſidere ſpiritus gratiæ, & ſpiritus peccati, vt quidam opinati ſunt, male interpretantes illud Ioannis Euangeliſtæ, & tenebræ eum non comprehenderunt: & quomodo hoc Paulus interpretatus ſit in Epiſt. ad Phil. c. 3. Cap. 80.
De duplici genere malorum ſpirituum, partim cum anima, partim cum corpore luctantium; & quomodo tentent, cum anima eſt extra gratiam Dei: & quomodo, cum non eſt; & quomodo vtriſque reſiſtendum, & de tentatione quando tentat Dæmon ſuggerendo, vt naturam humanam contemnamus, quia ſit mortalis: & quo-

& quomodo ſit tunc occurrendum. Cap. 81.

Quomodo, quandiu eſt aliquis in gratia Dei, non poteſt Diabolus eſſe in corde eius: & quomodo, & vbi hoc doceat Paulus, & quomodo pugnet Diabolus cum iis, qui ſunt in gratia Dei: & quomodo cum iis, qui ſunt extra gratiam: & quomodo, qui perfectè pugnet cum Diabolo, non poteſt Diabolus carnem eius ad voluptatis illecebras pellicere, vt Paulum & ſimiles. Cap. 82.

Quomodo, & vnde cor malas cogitationes gignat, & quare cogitationes etiam à Diabolo nobis ſuggeſtæ ex corde exire dicantur in Euangelio. Cap. 83.

Quomodo non poſſint eſſe ſimul in corde hominis gratia Dei, & Diabolus; & de exemplo ad hoc declarandum, & intelligendum. Cap. 84.

Vnde accidat, quod ſimul honeſta, & turpia quandoque cogitamus: & quando, ac cur gratia præſentiam ſuam menti cælet, & quid tunc faciendum ſit; &

quomodo inter cæteras omnes virtutes nihil poſſidere maxime conciliet gratiam Dei ad amandum eum vehementer: & cur aliquando etiam is, qui magnos progreſſus in virtute fecit permittatur poteſtati Dæmonis, relicta eius mente ſine lumine. Cap. 85.

Rurſus quomodo gratia Dei non poſſit vnà cum Diabolo habitare in mente hominis, & de duplici deceſſione gratiæ Dei, ſecundum eruditionem, & ſecundum auerſionem, & quare gratia Dei ſe aliquando abſcondat menti; & de exemplo familiari ad id oſtendendum. Cap. 86.

Decedere gratiam Dei ad eruditionem, quid boni afferat homini, & rurſus quid mali decedere ſecundum auerſionem, & quid in vtraque deceſſione faciendum nobis ſit: & quare aliquando gratia Dei auxilium ſuum in anima cælet Dæmonibus. Cap. 87.

Quomodo Spiritus Sanctus principio gratiam ſuam operetur in inchoantibus vitam ſpiritualem, & de exemplo naturali ad

ad hoc intelligēdum: & vnde factum ſit, vt mens etiam nolens eodem tempore honeſta, & turpia cogitet, & qui ſint, qui ſpiritualia tantum cogitant, & quomodo id contingat. Cap. 88.

Quando, & quomodo faciat Dei gratia, vt imago Dei, ad quam facti ſumus, ſplendeat in nobis: quando item faciat, ac quomodo, vt ſit in nobis ſimilitudo Dei: & de exemplo pictoris ad intelligendum vtrunque: & quomodo ſine illuminatione dilectionis Dei, quam ſpiritus Sanctus operatur, nemo poſſit habere ſimilitudinem Dei, quamuis habeat cæteras omnes virtutes quas naturaliter habere poſſit. Cap. 89.

De ſenſu, & experientia diuinæ dulcedinis in initio proficiendi ſpiritualiter, vnde exiſtat, & quomodo: & cur poſtea abſcondatur nobis huiuſmodi dulcedo: & vnde exiſtat difficultas diligēdi Deum cum guſtu, & in ſenſu cordis, & quomodo contendendum ſit ad eiuſmodi guſtum charitatis Dei: & quibus contingat

perfectio charitatis in hac vita, & perfectus guſtus eius. Cap. 90.

De quodam, qui tenebatur ardenti deſiderio cognoſcendi perſpicue charitatem Dei, quomodo eam cognouerit Dei munere, & de iis, qui eiuſmodi charitatem ſenſu, & guſtu cordis experti ſunt, quales ſint eorum virtutes: & quomodo iſti fidem charitate ſuperent & quomodo hoc Paulus ſignificauerit, cum dixit, nunc autem manent fides, ſpes, charitas: tria hæc, horum maior eſt charitas. Cap. 91.

De proprietate mediocris operationis ex cognitione ſancta, quomodo afferat nobis magnum dolorem, ſi quando aliquem offenderimus: & quid faciendum ſit tunc, ſi offenſus reconciliari nobis noluerit, aut ſi procul abſens fuerit. Cap. 92.

Quare via virtutis incipientibus appareat aſpera & quare medium eius tranſeuntibus fiat facilis: & quid faciendum ſit incipientibus, ad ſuperandum aſperitatem, gratia Dei adiuuante. Cap. 93.

Quomodo opus ſit per labores, & infirmita-

tes

tes probari, & veluti molliri cor ad imprimendum in eo ſigillum ſimilitudinis Dei ex virtutibus eius, & quæ eſſent probationes ſanctorum per infirmitates, quas Paulus vocat, tempore martyrum, & quæ pro illis ſucceſſerint tempore pacis Eccleſiarum, & quomodo operandum ſit per tolerantiam in tribulationibus teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Cap. 94.

De duplici humilitate, vna mediocrium, altera perfectorum, & quo illa mediocrium comparetur, & quomodo altera & de qualitate, & de conditione vtriuſque, & & quomodo à priore ad ſecundam perueniendum ſit. Cap. 95.

Quæ obſeruent Dæmones in religioſis ad oppugnandum eos, arripientes inde occaſionem: & quomodo ſint illa religioſis cauenda, & in primis cupiditas gloriæ: & quæ mala ex loquacitate ſequantur, & quid contra hoc vitium faciendum. Cap. 96.

Quid accidat ei, qui incipit purgare cor, & quomodo recordatione Domini Ieſu ſit

cor inflammandum ac purgandum : & quomodo neceſſarium ſit, & quando aſſequi poſſimus, vt ſemper,& ſine intermiſſione oremus. Cap. 97.

Quid ſit,vacuum eſſe paſſionibus in hac vita, & de armatura ſpirituali ad perrumpendum acies Dæmonum. Cap. 98.

De duobus Dæmonibus poſt vniuerſas ferè paſſiones ſuperatas relictis ad luctandum, altero cum anima, altero cum corpore,& quomodo ſuperandus ſit qui cum anima luctatur per zelum : & quomodo ſuperandus, qui cum corpore pugnat per libidinem : & de cauſa, cur homo poſt magnos progreſſus in virtutibus factos permittatur tentari per libidinem ab huiuſmodi Dæmone. Cap. 99.

Quomodo à religioſis ſtatim confitenda ſint Deo peccata, etiam non voluntaria contra regulam commiſſa & quomodo prouidendum, ne ſe fallat conſcientia; dum exiſtimat ſatis ſe confeſſam, & de metu tempore mortis : ſi non vt decet,confeſſi Deo fuerimus & quomodo huiuſmodi

metu

metus adiuuet Dæmones in illa hora, & de iis, qui cum fiducia, & exultatione excedunt ex hac vita, & quæ ſit cauſa eiuſmodi fiduciæ, & de iis, qui cum formidine excedunt. Cap. 100.

GVido Seruidius Præp. ac Vicarius Generalis Florentiæ hoc opus nihil à Fide, & religione alienum, continens, Florent. imprimendi facultatem conceſſit 17. Kal. Auguſti. 1572.

EGo Fr. Franciſcus Piſanus Vice-Inquiſitor Generalis Dominij Florentini concedo licentiam imprimendi hunc librum tanquam Catholicum.

APPRO

APPROBATIO.

PRomittunt beata Beati, nunquid enim ex ſano fonte amara emanat aqua? Sanctus Diadochus capita centum tradit de Perfectione Spirituali. Et Sanctus Nilus centum quinquaginta de oratione ad Deum, quælibet valdè vtilia, & quæ typis demandari meritò poſſunt & debent, in commodum quidem omnium, ſed Regularium maximè. Ad fidem & ad mores omnia ſunt in ipſo elogio conſona. Actum Lugduni. Die 5. Octob. 1626.

F. R. Berthelot, Epiſc. Damaſci.

CON

CONSENSVS PROCVratoris Regij.

SAncti Diadochi Epiſcopi Photic. capita centum, de Perfectione Spirituali, & S. Nili capita centum quinquaginta de oratione ad Deum, Ego Conſiliarius & Procurator Regius, in Lugdunenſi Præfectura typis mandari non impedio. Die 6. Octob. 1626.

P V G E T.

PERMISSIO.

LIbrum hunc, qui inſcribitur, Sancti Diadochi Epiſcopi Photic. capita centum de perfectione Spirituali, & S. Nili capita centum quinquaginta de oratione ad Deum, typis mandari à FRANCISCO LABOTIERE Bibliopola Lugdunenſi concedimus; ac ſimul ne quis citrà datam ei poteſtatem denuò excudat interdicimus. Lugduni die, 6. menſ. Octobr. 1626.

DECHAPONAY.

SANCTI

SANCTI

DIADOCHI EPISCOPI PHOTICES,

In vetere Epiro Illyrici, capita centum de perfectione Spirituali.

Franciſco Turriano Societatis Ieſu Interprete.

DEFINITIONES DECEM Paraſceuaſticæ.

PRIMA. FIDEI eſt definitio, Conceptus nimirum mentis de Deo, affectionis expers.

2. Spei. Egreſſio mentis ad ea quæ ſperātur.

3. Patientiæ. Mentis oculis Deum inuiſibilem, perinde ac ſi viſibilis eſſet intuendo ita indeſinenter durare.

4. Affectionis minimè auaræ. Tam eſſe animatum ad non habendum, quàm alius quiſquam ad habendum.
5. Cognitionis. Seipſum neſcire, extra ſe poſitum in Deo.
6. Humilitatis. Continua obliuio ſuorum rectè factorum.
7. Vacuitatis iræ. Vehemens deſiderium non iraſcendi.
8. Caſtimoniæ. Senſus ſemper Deo affixus.
9. Charitatis. Amoris incrementum erga eos qui iniuriam inferunt.
10. Perfectæ immutationis. Mortis horrorem pro gaudio reputare in Dei oblectatione.

Hæc cum in Turriani Interpretatione deeſſent, ex Photij Cod. 201. ſuppleuimus.

De tribus virtutibus, quæ, tanquam Duces, debent antecedere contemplationem mentis Spiritualem.

CAP. I.

OMNEM ſpiritualem contemplationem (fratres) antecedant, tanquam duces, Fides, Spes, Charitas, ſed magis Charitas. Fides enim, & Spes, docent con

contemnere ea,quæ videntur: Charitas verò animam cum ipſis illis Dei virtutibus copulat, perueſtigans ſenſu quodam mentis eum,qui videri non poteſt.

Quomodo,& quãdo homo efficiatur bonus.

Cap. II.

SOLVS Deus eſt natura bonus: homo autem ſtudio bonorum morum efficitur bonus: dum mutatur in id boni, quod ex ſe ipſe non eſt,per eum,qui vi ſua bonus eſt,tunc ſcilicet,cum anima ſtudio virtutis, tantum Deo adhæret,quantum pro viribus operando, adhærere vult. ait enim Dominus,Eſtote boni & miſericordes,ſicut pater veſter celeſtis.

De peccato,quãdo,& quomodo incipiat eſſe.

Cap. III.

MAlum nec eſt in natura, nec eſt quiſquam natura malus: Deus enim non fecit malum. Quando autem in deſiderio cordis aliquis format, id quod non exiſtit re ipſa,tunc incipit eſſe,quatenus vult, qui id facit. Oportet igitur ſtudio recordationis Dei,& omnis operis boni negligere ha-

bitum mali:plus einm poteſt natura [a] boni, quam habitus mali, quandoquidem illud quidem eſt,hoc vero non eſt, niſi cum agitur tantum.

[a] *Natura*, inquit Damaſcenus in Oplotheca contra Monophyſitas,*vocatur lex*, *&* *vix à principio ab auctore in vnaquaque ſpecie, ſecundum quam mouetur,aut quieſcit: mouetur, inquit, ad eas energias,ſiue operationes, ad quas habet vim. itaque inclinatio rationalis ad bonum,quæ naturalis eſt,vocatur hic natura boni; ad malum verò inclinatio, quæ præter naturam eſt,& aduentitia,vocatur habitus mali.*

Quando,& quomodo aſſequamur,vt ſimus ad ſimilitudinem Dei.

C a p. IV.

OMnes ,homines ſumus ad imaginem Dei,illud autem ad ſimilitudinem,illorum tantum eſt, qui per multam charitatem, libertatem ſuam Deo in ſeruitutem addixerūt.Quando enim non ſumus noſtri, tunc ſimiles ſumus ei,qui nos ſibi per charitatem reconciliauit, quod nemo aſſequetur,niſi perſuaſerit animæ ſuæ,non admirari leuem vitæ huius gloriam.

Quo

Quomodo faciendum ſit, vt voluntas ad bonum tantum ſit prompta.

C A P. V.

Liberi arbitrij poteſtas, eſt voluntas animæ rationalis, quæ promptè mouetur, quò velit: cui quidem tunc ſuadebimus, vt ad bonum tantum prompta ſit, cum memoriam mali, bonis cogitationibus conſumpſerimus.

Quod ſit lumen veræ ſcientiæ, & quid vſus huius luminis in mente efficiat.

C A P. VI.

Lvmen veræ cognitionis eſt diſcernere ſine lapſu rectum à prauo, quod quidem cum fit, tunc via iuſtitiæ quæ ad Deum ſolem iuſtitiæ mentem ducit, vltra in infinitam ſcientiæ illuminationem [a] illam ipſam mentem introducit, tanquam quærentem iam deinceps cum fiducia charitatem. Quare oportet, iuſtitiam ab iis, qui illam contumelia afficere audent, indignatione non irata eripere. Zelus enim pietatis, non habendo quemquam odio, ſed arguendo oſtenditur.

[a] Sicut Charitas eſt infinita, quia neſcit terminum, dum in via ſumus, ſic interminata eſt veræ cognitionis per charitatem operatæ illuminatio, quæ eſt propria charitatis. hæc enim ſola poteſt vacuitatem paſſionum, quæ ſunt mentis tenebræ, afferre animæ, vt hic pater ait c. 99. hac autem illuminatione qui vtitur, in eo magis, ac magis creſcit ipſa illuminatio: eſtque eius non ſolum operari virtutem, ſed virtutem defendere arguendo cum zelo ſine ira eius vituperatores exemplo Dauid, cum ait, tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei. deinde docet, quemadmodum ad vrendum eos arguendo, & ad illuminandum, tanquam igne quodam verbo Dei vteretur, quæ enim arguuntur, inquit Apoſt. à lumine manifeſtantur. Idcirco ſubiungit ſtatim Dauid, ignitum eloquium tuum vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud.

Quid efficiat ſermo ſpiritualis.

Cap. VII.

SErmo [a] ſpiritualis ſenſum mentis explet: [b] operatio .n. Charitatis à Deo fertur. Quamobrem non torquetur mens noſtra tunc tractatione rerum diuinarum. Non enim illo tempore inopiam, quæ ſolicitudinem

dinem affert, patitur: quippe quæ tantum ſe contemplationibus dilatat, quantum operatio charitatis vult. Quare pulchra res eſt, expectare ſemper fide per exercitationem charitatis, lumen dicendi. Nihil enim egentius illa mente, quæ de Deo extra Deum philoſophatur.

[a] *Sermo ſpiritualis eſt ſermo ſubiectus notionibus rerum ſpiritualium non nudis, & ſolis, ſed cum cognitione per charitatem operata.*

[b] *Operationẽ charitatis vocat hic eam, quam charitas ſecundum naturam ſuam diuinitus operatur. Natura enim charitatis eſt lex, ac vi charitati indita, ſecundũ quã omnia illa operatur, quæ Apoſt.* 1. *Cor.c.*13. *memorat. illa, n. ſunt propriæ energiæ, ſiue operationes charitatis, ex quibus eſt iſta expletiomentis, quæ Græce dicitur* πληροφορία. *Quæ eſt, vt ait S. Maximus, certa quædam ſecundum mentem, & rationem perſuaſio. De hac ait Ioan. diligamus opere, & veritate, & ſuadebimus corda noſtra. & Paul. certus ſum, id eſt, vt Græcum verbum exprimam, perſuaſum habeo, quod neque vita, neque mors, &c.*

Quomodo accedendum ſit ad loquendum de diuinis rebus.

Cap. VIII.

NEc oportet non illuminatum intendere mentem ſpiritualibus [a] contemplationibus: neque copioſo lumine benignitate Spiritus Sancti repletum, ſtatim ad loquendum accedere. Vbi enim eſt inopia, ea affert ignorantiam. Vbi copia, non ſinit loqui. Tunc enim anima charitate Dei velut ebria, expetit per ſilentium contemplatione gloriæ Domini perfrui. Quamobrem opus eſt, obſeruata mediocritate illuminationis, ad loquendum de diuinis rebus, deuenire: hæc enim menſura formam quandam ſermonis glorioſi præbet. Copioſa vero illuminatio, fidem [b] nutrit loquentis in fide, vt qui docet primus fructum ſcientiæ guſtet per charitatem. Laborantem enim (inquit) agricolam primum oportet de fructibus percipere.

[a] *Contemplationes ſpirituales ſunt, quæ non verſantur in nudis notitiis rerum ſpiritualium tanquam in hiſtoriis, nec in nudis rationibus earum, ſed in eiuſmodi rerum ſpiritualium medita*

ditationibus, quæ commiſtæ ſunt cum Spiritu fidei, Spei & charitatis, vt de Deo, & myſteriis eius, ac prouidentia multiplici, & admirabili, & de futuro ſæculo, aliiſque huiuſmodi, quæ qui contemplari vult, oportet, vt Dei cognitionem habeat per operationẽ mandatorum eius illuminatã. Ex prauis enim cogitationibus verbis, actibus tenebræ, & caligo, vt ait Marcus Anachoreta, incidunt menti: & vt idem ait, quatenus vnuſquiſque paſſiones ſibi aufert, quæ menti tenebras inducunt, eatenus proportione illuminatur. Vt ex c. 40. etiam intelligi poteſt.

[b] *Copioſa cognitionis illuminatio, quam affert multa paſſionum purgatio per multam operationem mandatorum Dei, nutrit fidem, quia purgatis affatim paſſionibus, quæ ex rebus, quæ videntur, generantur, plenius creduntur ea, quæ non videntur, quorum eſt fides.*

De chariſmate cognitionis, & ſapientiæ.

Cap. IX.

VNius quidem S. Spiritus ſunt chariſmata ſapiẽtia, & cognitio, ſicut cætera omnia diuina chariſmata: propriam verò, vt ſingula alia, habent operationẽ. Quamobrẽ alij ſermonem ſapientiæ, alij ſermonem ſcientiæ, ſiue cognitionis ſecundum eũdem

ſpiritum tribui teſtatur Apoſt.[a] cognitio.n. experimento copulat hominem cum Deo, non excitando animan ad loquendum de rebus. Ex quo fit, vt aliqui ex iis, qui vitam ſolitariam in ſtudio virtutis degunt, illuminentur quidem ab ipſa cognitione in ſenſu: ad ſermones verò de rebus diuinis non accedunt. Sapientia verò, ſi cui cum metu Dei, quod ratum eſt, tribuatur, ipſas cognitionis operationes manifeſtat; quandoquidem cognitio quidem operatione, ſapientia verò ſermone ſolet illuminare. Verùm cognitionem quidem oratio affert, & quies multa in vacuitate perfecta ſolicitudinis: ſapientiam verò exercitatio ſanctarum ſcripturarum non ambitioſa, & in primis gratia largientis Dei.

[a] *Duplex eſt in ſcriptura, ait S. Maximus ſcientia ſiue cognitio rerum diuinarum: altera eſt ſolum σχετικὴ, id eſt, quæ refertur ad ea, quæ ſciuntur, quæ, inquit, tanquam in ratione ſola, & notionibus poſita eſt, & non præbet per experientiam ſecundum operationem, id eſt, per fidem dilectione operatam ſenſum eius, qui operatione, & experientia cognoſcitur: qui enim non diligit Deum, ait Ioannes, non nouit eum: altera inquit, eſt propriè vera cognitio, ſiue ſcientia, quæ in*

in ſola experientia ſecundum operationem ſine ratione, & notionibus præbet totam notitiam & ſenſus eius, qui per gratiam participatione cognoſcitur: & illa, inquit, prior vim habet mouendi deſiderium ad habendum hanc, quæ poſita eſt in participatione Dei ſecundum operationem, quod hic pater dicit copulare experimento hominem cum Deo.

Quid curandum tempore luctæ, & ne paſſiones ſedatæ ſuperbiam gignant.

CAP. X.

QVando ea pars animæ, quæ iraſcitur, aduerſus paſſiones mouetur, ſcire oportet tempus eſſe [a] ſilentij: eſt enim tempus luctæ. Cum verò viderit quis ipſius animæ motus inconſtantes, vel per orationem, vel per eleemoſynam ſedari, afficiatur amore, & ſtudio ſcripturarum, alas mentis vinculo humilitatis firmans. Nemo enim, niſi ſeſe valde ſummittat, & ſe pro nihilo ducat, poterit de amplitudine Dei narrare.

[a] *Silentium cordis dicit. quod eſt vacare foris, & intus ab omni alia intempeſtiua ſolicitudine.*

Cur ſapientia ſpiritualis non ſit ambitioſa.

Cap. XI.

SPiritualis ſermo ſemper animam à cupiditate inanis gloriæ cuſtodit: dum enim ſenſu luminis omnes partes eius iuuat, facit, vt non opus ei ſit honore hominum. Quocirca ſemper mentem ab [a] imaginationibus vacuam ſeruat, quippe cum eam totam ad amandum Deum vertat. Sermo verò ſapientiæ huius mundi ſemper ad inanem gloriam, hominem inuitat: etenim, quia non poteſt eum experimento [b] ſenſus iuuare, amorem laudis alumnis ſuis largitur, tanquam ab ambitioſis hominibus fictus, & formatus. Quamobrem qualitatem hanc ſermonis diuini abſque errore dignoſcemus, ſi ſilentio curis vacuo, tempora, quæ ad loquendum non ſunt conſtituta, in memoria Dei feruida conſumpſerimus.

[a] *Imaginationes vocat Græcè* φαντασίας *fictas animo cogitationes eorum quæ non ſunt, ſed apparent bona, vt opum, voluptatum, gloriæ, & honorum.*

Pietas,

[b] *Pietas, inquit Salomon Prou. c. 1. principium ſenſus. Quem locum interpretans Procopius Gazæus, pietas, inquit, id eſt, honorare Deum operibus iuſtitiæ, principium eſt ſenſus, hoc eſt, cognoſcendi per experientiam omnem bonam voluntatem Dei. operatio enim mandatorũ Dei aſcenſus eſt ad contemplationem eorum: quæ quidem ante actionem, ratione doctrinæ, id eſt, quatenus ea didicimus, cognita habemus: poſt actionem verò perfectius cognita, & perſpecta. Hactenus Proc. cognitio ergo rerum diuinarum per experientiam ſecundum operationem, præbet, vt ait S. Maximus, ſenſum Dei menti, qui eam vera lætitia afficit. Hac experientia huiuſmodi ſenſus non poteſt iuuare ſcientia huius mundi: idcirco vanam lætitiam ex laude & inani gloria quærit.*

De dilectione ſui, & Dei.

CAP. XII.

QVi ſe diligit, Deum amare non poteſt: qui verò ſe non diligit propter excellentiores diuitias amoris in Deum, hic Deum amat. Ex quo fit, vt hic neque ſuam vnquam gloriam quærat, ſed potius gloriam Dei. Qui enim ſe diligit, gloriam ſuam quærit. Qui autem Deum diligit, gloriam aucto

auctoris ſui amat. Eſt enim animæ ſentientis, ac Deum amantis proprium, gloriam quidem Dei ſemper quærere, in omnibus mandatis, quæ facit: ſua verò ſummiſſione delectari, quòd Deum quidem propter eius magnificentiam deceat gloria, hominem verò ſummiſſio, vt per eam familiares Deo efficiamur: quod quidem, ſi & nos fecerimus lętantes gloria Domini, exemplo Ioannis Baptiſtæ, incipiemus dicere ſine intermiſſione vlla, illum oportet creſcere: nos autem minui.

Quomodo contingat, vt aliquis videatur ſibi non diligere Deum, cùm tamen tunc maximè diligat.

CAP. XIII.

NOui ego quendam, qui tametſi lugeret, quod non, vt vellet, Deum amaret: tamen ita Deum amabat, vt eius anima huiuſmodi deſiderio vehementi continenter teneretur, ita vt Deus quidem gloria afficeretur in eo, ipſe verò eſſet, quaſi nihil. Qui talis eſt, neque cum verbis laudatur, ſe agnoſcit, quid ſit: ſiquidem præ nimio humilitatis deſiderio dignitatem ſuam non cogitat,

cogitat, cum alioqui miniſtret quidem Deo, vt lex præſcribit ſacerdotibus, ob ſtudium tamen diligendi Deum obrepit ei obliuio dignitatis ſuæ occultanti in profunda erga Deum charitate per ſpiritum humilitatis gloriationem de dignitate ſua. Vt iam ſibi cogitatione ſua inutilis quidam puer omni tempore videatur, quaſi à dignitate ſua alienus, præ humilitatis deſiderio: quod quidem & nos facere oportet, & omnem honorem, atque gloriam fugere, propter excellentes diuitias amoris erga Deum, qui verè nos amauit.

De eo, qui in ſenſu cordis Deum diligit.

CAP. XIV.

QVi in ſenſu è cordis Deum amat, hic eſt ab eo cognitus: quantam enim quis Dei charitatem in ſenſu animæ capit, tanta eum amat. Quocirca, qui ſic eſt, illuminationem cognitionis vehementer amat, quouſque ipſum ſenſum [b] oſſium ſentiat, factus iam ſui neſcius, immò totus à charitate Dei immutatus. Qui talis vero eſt, adeſt ille quidem, & non adeſt in vita: Adhuc enim in corpore ſuo verſans, peregrinatur propter charitatē perpetua quadam animæ

ad

ad Deum profectione. Incenſo enim deinceps corde vehementer charitatis igne, vi quadam deſiderij adglutinatus eſt Deo, tanquam totus extra amicitiam ſui poſitus, propter charitatem Dei: ſiue enim (inquit) [c] excedimus, Deo: ſiue ſobrij ſumus, vobis.

[a] *Deo cognitus dicitur in ſcripturis, quem Deus diligit: ſicut quem non diligit, neſcit.*

[b] *Anima, quæ charitate in Deum inflammata eſt, quaſi corpus etiam ad profundam illam charitatem trahere vult, vt c.33. ait hic pater: & non ſolum hoc, ſed omnia intima, ipſa etiam oſſa, quæ nihil ſentiunt, deſiderat, ſi fieri poſſit, vt hanc charitatem ſentiant, & quæ Dei ſunt, illuminate cognoſcant. & c.74. ait, in quo eſt ardor charitatis, inuitari ab eo ardore ad deſiderium Dei omnes partes animæ, id eſt potentias, quæ quia ſunt validæ ad operandum, oſſa ſunt ſpiritualia in ſcripturis, vt beatus Cyrill. in com. Eſ. c.58. notauit: & Procopius Gaz. idem ſentiens Pro.c.2. oſſa interpretatus eſt* τὰς τονοτικὰς δυνάμεις, *id eſt, potentias validas ad actionem, anima igitur, quæ amore Dei ardet, deſiderat ſentire, quam potẽtiæ ſuæ, quæ ſunt oſſa, vt dixi, ſpiritualia, ſentiant ſe illuminari à cognitione Dei per charitatem operata.*

Ad

c Ad ecſtaticum amorem Dei, quo tenebatur Apoſt. vt Dionyſ. quoque in Diuin. nomin. c.4. hunc locum interpretatus eſt, pertinet hoc, ſiue excedimus Deo; & illud ad Gal. viuo non iam ego, ſed viuit in me Chriſtus, item illud ad Philipp. deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, illa vero, appellare Cæſarem, & dimiſſum per ſportam effugere, & illud ad Gal. quod autem viuo in carne, &c. non pertinebant ad illum exceſſum amoris Dei; quod faciebat, vt totus eſſet Chriſti amati, eiuſque vitam, non ſuam viueret, ſed potius ad carnis curam, quam ſobrie habebat, ad vtilitatem, ac neceſſitatem fratrum: ſicut ipſe ad Philipp. ſcripſit inquiens, permanere autem in carne neceſſarium propter vos. Hoc ſignificat; ſiue ſobrij ſumus, vobis.

Quando incipiat aliquis diligere proximũ.

CAP. XV.

CVm cœperit quis ſentire copioſè charitatem Dei, tunc incipit ſenſu ſpiritus proximum quoque amare. Hæc enim eſt charitas, de qua omnes ſcripturæ ſanctæ differunt. Amicitia namque ſecundum carnem, quia non alligatur ſenſu ſpiritus, perfacile parua quapiam occaſione inuenta, diſſoluitur. Idcirco quamuis contingat irritatio

ritatio aliqua in anima,in qua Deus operatur, non ſoluitur vinculum charitatis. Inflammans enim rurſus ſe ipſam calore charitatis Dei,ſtatim ad virtutem reuocatur,& cum magno gaudio charitatem proximi quærit,tametſi magnam contumeliam, aut damnum acceperit: aſperitatem enim contentionis, dulcedine Dei conſumit.

Quomodo acquiratur perfecta in Deum Charitas, & de altera charitate non perfecta.

Cap. XVI.

NEmo poteſt in ſenſu [a] cordis Deum amare, niſi prius toto corde eum timeat: timore enim Dei efficitur, vt anima pura & mollis effecta, ad exercendum charitatẽ ſe applicet. Nunquam verò aliquis eiuſmodi metum Dei,qui dictus eſt,capiet, niſi extra omnes vitæ huius ſolicitudines poſitus fuerit. Cum enim quietem,& multam curarum vacuitatem mens ceperit, tunc metus Dei ſolicitat eam, & purgat multo cum ſenſu, eiiciens omne terrenum, & craſſum, vt ſic illam ad amandum valde boni

bonitatem Dei adducat. Quare metus quidem cum mediocri charitate,eorum eſt,qui adhuc purgantur: perfecta verò charitas eorum,qui iam purgati ſunt,in quibus non eſt amplius timor. Perfecta enim charitas foras expellit timorem: vtrumque verò eſt iuſtorum tantum, qui operatione Spiritus ſancti virtutes operantur. Idcirco interdum quidem dicit ſcriptura diuina, Timete Dominum omnes ſancti eius:interdum verò, diligite Dominum omnes ſancti eius. Vt planè intelligamus,eſſe quidem metumDei cum mediocri charitate, eorum iuſtorum, vt dictum eſt, qui adhuc purgantur: perfectam verò charitatem,eorum,qui purgati ſunt, in quibus non eſt amplius de vllo timore cogitatio: ſed potius ardor, & adglutinatio continua animæ ad Deum per operationem ſpiritus ſancti,ſicut ſcriptum eſt: adhæſit anima mea poſt te: me autem ſuſcepit dextera tua.

[a] *Senſus cordis ſignificat, vt ait S. Maximus,ipſam rei cognitæ participationem.cor enim in ſcriptura aliquando ſignificat mentem cum dilectione. Quia ſicut cor vitam communicat cum reliquis membris,ſic mens,quæ in dilectione viuit, vitam ſpiritualem cum reliquis partibus animæ,*

animæ, id eſt, cum iraſcibili, & concupiſcibili communicat, his verbis Procopius Gazæus interpretatur illud Prou. 2. inclinabis cor tuum ad cognoſcendum prudentiam. Hic ſenſus cordis dici ſolet ab hoc patre ſenſus mentis, qui eſt guſtus perfectus, quo anima Deum diligens diſcernit ſine errore bona à malis, vt tradit idem pater. c. 30. is ergo in ſenſu cordis diligit Deum, qui opere, & veritate, vt ait Ioan. diligit, is enim ex charitate ſpirituali diligit.

Quomodo anima ægrota, per metum Dei incipiat curari per charitatem.

CAP. XVII.

SIcut vulnera, quæ corpori accidunt, poſtquam ſqualida, & ſine curatione relicta ſunt, medicinam, ſi à medicis adhibeatur, non ſentiunt; purgata vero ſentiunt vim medicamenti, & celeriter ſanantur; ſic anima quandiu expers curationis eſt, & lepra voluptatis tota operta, metum Dei non poteſt ſentire: quamuis ei tribunal Dei horribile, & præpotens perpetuo denuncietur. Poſtquam verò magna attentione purgari cœperit, tunc ſentit veluti remedium quoddam vitæ, Dei metũ, qui eam vrit arguendo, tan

tanquam igne quodam ſine dolore. Vnde paulatim deinceps purgata ad perfectam purgationem euadit,tantum creſcente charitate, quantum decreſcit metus, vt ſic ad perfectam charitatem perueniat, in qua non eſt timor,vt dictum eſt:ſed potius omnis indolentia, quam gloria Dei operatur. Sit igitur vobis ſumma gloriatio,continua, & perennis, primum quidem timor Dei: deinde verò charitas,plenitudo legis perfectionis in Chriſto.

Quomodo anima,curis mundi inuoluta,non poßit Deum amare.

Cap. XVIII.

ANima quæ nondum curis mundi ſoluta ac libera eſt,neque Deum legitime amabit, neque Diabolum digne execrabitur: eſt enim ſolicitudine vitæ huius moleſto prorſus tegumento inuoluta.Vnde eorum mens,qui tales ſunt,tribunal [a] ſuum agnoſcere non poteſt,vt apud ſe ſine errore ſuffragia iudicij exploret. Eſt igitur omnibus modis vtilis ſeceſſus.

Tribunal

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

[a] Tribunal ſuum vocat cuiuſque conſcientiam, quæ, vt S. Dorotheus in libro de conſcientia ſcribit, eſt λογισμὸς, id eſt, ratiocinatio illuminans mentem inſtar ſcintillæ, & diſcernens bonum à malo indita animæ à Deo, cum hominem creauit, eſtque lex naturalis: & paulò poſt, hanc, inquit, obruere, aut ſinere elucere, penes nos eſt. Hæc eſt, quæ dicit nobis, fac hoc; aut, ne fac: quam cum contemnimus, fit, vt non amplius loquatur nobis; ſed potius tanquam lucerna apparens per laternam, nobis incipit oſtendere veluti obſcuras res. Et ſicut cum turbata eſt aqua propter aggerem demerſum, nemo poteſt faciem ſuam videre, ſic cum anima curis mundi obruta eſt, non ſentimus, quid nobis dicat conſcientia: ita vt videamur non habere illam: nemo tamen illa caret. Hactenus Doroth. in hoc igitur tribunali quorum ſibi quiſque conſcius eſt ſiue recte factorum, ſiue male, ex ipſis illis conſtant, & conſtantur ſuffragia iudicij ſiue ad condemnandum, ſiue ad liberandum in illo die, cum reuelabit Dominus occulta cordium reddente teſtimonium conſcientia, & cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.

Quæ

Quæ ſint propria animæ puræ.

Cap. XIX.

ANimæ[a] puræ propria ſunt ſermo non inuidus, zelus malitiæ expers,& continuus amor in dominum gloriæ. Tunc enim mens lances ſuas perfecte moderatur, ac temperat, rationi ſuæ tanquam in puriſſimo, & incorruptiſſimo iudicio aſſiſtens.

[a] *Anima pura eſt(inquit Iſaac Syrus anachoreta)non quæ neſcit malū,hoc enim,inquit,pecudis eſt:nec eius, qui adhuc natura puer eſt:ſed quæ vſu virtutum ſanctarum non ſine certamine cogitationum à vitiis purgata eſt, quæ tunc quidem facit, vt appetitus irrationalis non deprimat lancem rationalis, ſed potius ſe ei æquet tanquam in libra vnde lances vocat propter inclinationes,& moderationem.*

Quod neceſſario ad fidem opera; & ad opera adiungenda ſit fides.

Cap. XX.

FIdes ſine operibus,& opera ſine fide eodem modo improbabuntur: oportet enim

enim fideles fidem acta oſtendentem Domino offerre. Nec enim patri noſtro Abraham in iuſtitiam fides reputata eſſet, niſi fructum eius filium ſuum, obtuliſſet,

---

Qualis ſit fides ſine operibus, & qualis fides per dilectionem operata.

CAP. XXI.

QVi Deum amat, & legitime credit, idem opera fidei, ſanctè perficit: qui verò tantum credit, & non âmat, idem neque fidem ipſam, quam habet, videtur habere. Leui enim mente credit, in quo[a] pondus gloriæ charitatis non operatur. Fides ergo in actione per charitatem poſita, magnitudo virtutum eſt.

[a] *Charitas, quæ maioris ponderis eſt, quam cæteræ virtutes, fidei ſuperdificata credentem firmat; ſicut pondus ſua grauitate premit leue. reſpexit hic pater ad locum Apoſtoli 2. Cor. 4. eumque interpretatus eſt, vbi Apoſt. æternum gloriæ pondus vocat charitatem glorioſam, quæ ideo æterna eſt, quia numquam excidit; quæ quia (inquit ſcriptura), Ego diligentes me diligo, excellentiſſima merces in hac vita charitas ipſa eſt. Hinc illud apud Marcum c. 10. centies*

centies tantùm nunc in hoc ſæculo, quo remunerantur perſecutiones. Hoc enim ſignificat, accipere centies tantùm cum perſecutionibus. hæ nãque ſunt, quæ operantur hanc charitatem, ſicut Apoſt. in illo loco ait, quod leue eſt, & momentaneum tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternũ gloriæ pondus operatur in nobis: de præmio enim huius vitæ loquitur, ſicut Marcus cùm ait, nunc in hoc ſæculo, quod præmium in futuro perficitur, & beatitudine cumulatur. hùc pertinet quod ait Sal. Prou. 17. merces gratiarum vtentibus diſciplina.

De non ſcrutando curioſè profundum fidei.

CAP. XXII.

PRofundum fidei ſi ſcrutemur, turbulentum quidem eſt; tranquillum verò, ſi ſimplici animo contemplemur: non enim patitur profundum fidei, quod eſt aqua [a] obliuionis, vt curioſis cogitationibus illud contemplemur. Simplicitate ergo intelligentiæ in aquis eius nauigamus, vt ſic ad portum voluntatis Dei perueniamus.

[a] *Aqua obliuionis eſt fides, quia vt potæ de fluuio Lethes, ideſt, obliuionis profundi inferni finxerunt; ſic fides facit vere obliuiſci inanis philoſo-*

phiæ, & elementorum huius mundi, reſpuit enim ait beatus Hil. lib. 1. de Trinit. captioſas, & inanes philoſophorum quæſtiones: nec humanarum ineptiarũ fallaciis ſuccumbens ſpolium ſe præbet falſitati, non ſecundum ſenſum communis intelligentiæ Deum retinens, neque de Chriſto ſecundum mundi elementa decernens. Horum igitur omnium obliuiſci facit: & hæc omnia ſua incurioſa ſimplicitate ſuperat fides nitens ſolùm in Deo ac domino veritatis.

Quando mens non poßit ſentire guſtu animæ odorem cœleſtium.

CAP. XXIII.

NEmo poteſt, vel diligere, vel credere legitime, ſi ſe ipſe ſui accuſatorem habeat. cum enim conſcientia noſtra ſe ipſam arguendo conturbat, non ſinitur mens odorem cœleſtium bonorum ſentire: ſed potiùs in ambiguum ſtatim diſtrahitur: ita vt propter antegreſſam experientiam fidei, feruenter quidem id appetat: aſſequi tamen in ſenſu cordis per charitatem propter crebros, vt dixi, morſus, & accuſationes conſcientiæ non poſſit. Cæterum vbi nos ipſi feruidiore oratione, & attentione pur-

gaueri

gauerimus, cum maiori in Deo experientia, optatum adipiſcemur.

De duplici ſenſu corporis, & mentis: & de ſenſu mentis excitando ad guſtandum cœleſtia.

CAP. XXIIII.

SIcut ad ea quæ nobis pulchra videntur, ſenſus corporis nos quodam modo per vim incitant: ſic ad ea bona, quæ non cadūt ſub aſpectum, ſenſus mentis nos ſolet deducere, quando diuinam bonitatem deguſtarit. Vnumquodque enim ſibi cognatum, & congeneum omnino appetit: anima quidem vt corporis expers cœleſtia bona: corpus verò, vt è terra, terrenas voluptates. Ad experientiam igitur ſenſus [a] materiæ, & concretionis expertis ſine errore veniemus, ſi materiam corporis laboribus attenuauerimus.

[a] *Senſum materiæ expertem vocat ſenſum mentis; qui tunc ſine errore ad experientiam venit, ideſt ad cognitionem ſecundum operationem, hoc enim ſignificat experientia ſenſus*

 mentis,

mentis, vt S. Maximus ait, cum caſtigatur corpus, & in ſeruitutem redigitur: hoc enim ſignificat attenuare materiam laboribus, quod in cap. 71. aliam metaphoram ſecutus dixit, retexere tegumentum, ſcilicet animæ, quod eſt corpus, quod quidem retexere videtur, qui per abſtinentiam ſubtilius & tenuius efficit.

De vno ſenſu animæ ſecundùm operationem in ſtatu innocentiæ, & diuiſo poſt peccatum: & de ſenſu ſimplici animæ à Spiritu Sancto.

Cap. XXV.

IPſa ſanctæ noſtræ [a] cognitionis operatio edocet vnum quidem eſſe ſenſum animæ naturalem ac rationalem, qui in duas poſteà operationes propter peccatum Adæ diuiſus eſt: alterum verò ſimplicem, qui ſcilicet à ſpiritu Sancto ipſi animæ aduenit; quem nemo poteſt cognoſcere, niſi ij tantũ, qui ſe à voluptatibus vitæ huius propter ſpem futurorum bonorum libenter expediunt, & omnem appetitum ſenſus corporei temperantiâ marceſcere faciunt. In his enim mens, quia per vacuitatem ſolicitudinis integra ſanitate mouetur, diuinam bonitatem,

nitatem, quæ inexplicabilis eſt, ſentire poteſt, & ſuum gaudium cum corpore ſecundum menſuram ſui profectus communicare, ratione quadam amatoriæ confeſſionis interminata exultans. In ipſo enim (inquit) ſperauit cor meum & adiutus ſum, & refloruit caro mea, ex voluntate mea confitebor ei. Lætitia enim qua tunc anima & corpus afficitur, admonitio quædam certa eſt vitæ immortalis.

[a] *Duplex eſt cognitio ſancta, vt tradit Iſaac Syrus Anachoreta, vna animæ cognitio, quæ non carnis ſed mentis cupiditatem ſequitur, cuius operatione omne, inquit, genus virtutis in iis, quæ ſub ſenſum cadunt, & in ſenſibus corporis iuſte vtendis Spiritus ſancti operatur: altera eſt perfectior, & ſanctior, ac plane ſpiritualis, quæ relictis rebus, ex quibus paſſiones gignuntur, fidem ſequens, diuina contemplatur, de cuſtodia mentis, & futuro ſæculo tantum ſolicita. In hac cognitione interiores ſenſus, ad operationem ſpiritus excitantur: vtriuſque ergo ſanctæ cognitionis operatio edocet nos carnem ſubyci ſpiritui: & idem auxiliante Dei gratia cum eo ſentire ſecundùm naturam: ſiquidem per huiuſmodi ſanctæ cognitionis operationem redit anima ad ſimilitudinem Dei naturæ ſuæ conuenientem: ita*

ſit vt ipſa noſtræ ſanctæ cognitionis operatio doceat vnum eſſe operatione ſenſum animæ naturalem, eundemque rationalem: ſenſum enim animæ vocat ſenſum mentis, qui in diſcretione boni & mali ſecundum charitatem verſatur, qui erat in ſtatu innocentiæ vnus, ideſt, rationalis tantum: ſenſus enim noſter irrationalis, quia ex toto erat rationi ſubiectus, non habebat diſcretionem boni, & mali ſeiunctam à diſcretione ſenſus rationalis: propter peccatum enim Adæ diuiſus eſt ſenſus animæ in duas operationes, &, vt Apoſtolus ait, in duas prudentias, ſiue in duas leges, carnis, & ſpiritus. hæc eadem ſanctæ cognitionis operatio docet nos ſenſum carnis ſenſui mentis repugnantem non eſſe naturalem animæ ſenſum, ſed aduentitium, ac præter naturam: vacare quidem animam natura ſua à paſſionibus à ratione auerſis.

Quomodo oporteat perturbationibus carere, ad diſcernendas cogitationes, vtrum à Deo ſint miſſæ, an à Dæmone.

Cap. XXVI.

Oportet eos, qui certant, animum ſemper extra perturbationum fluctus conſeruare, vt mens cogitationes incurrentes diſcernens, bonas quidem, & à Deo miſſas

miſſas, in penu memoriæ recondat: malas verò & dæmoniacas ex apothecis naturæ eiiciat. Mare enim cum tranquillum eſt, vſque ad fundum eſt piſcatoribus perſpicuum, ita vt tunc nihil fere ibi piſcium eos lateat: cum verò ventis agitatur, tegit tempeſtate turbida, quæ in placida tranquillitate lagiter facit perſpici. Ex quo fit, vt ars eorum, qui piſcatorios dolos machinantur otioſa ſit, quod quidem menti, quæ in contemplatione verſatur, euenire ſolet, tunc maxime, cum fundum eius ira iniuſta, turbatum eſt.

Cur pauci peccata ſua perfectè agnoſcant & quid faciendum ſit, vt hoc facere poſſimus.

CAP. XXVII.

PAuciſſimorum eſt, lapſus ſuos perfectè cognoſcere eorum, quorum mentibus numquam excidit memoria Dei. Quemadmodum enim noſtri corporis oculi, cum ſani ſunt, cuncta poſſunt cernere, etiam culices in aëre volitantes; cum verò turbati ſunt, aut humore quodam ſuffuſo ſepti, ſi quid in eorum aſpectum incurrat grande, hoc tenuiter cernunt: minuta verò non ſentiunt,

ſic anima, ſi ardorem ex cupiditate mundi collectum ſtudioſè reſtrinxerit, etiam valde parua errata pro grauiſſimis ducens, lachrymas multas, cum multa gratiarum actione, continenter Deo offert. Iuſti enim (inquit) confitebuntur nomini tuo. Contra verò ſi perſeueret in cupiditate mundi, cum quid eſt ad cædem pertinens, aut aliud quid magno dignum ſupplicio, ſentit; illa quidem ſenſim, alia verò errata ne ſignificari quidem ſibi vult; imò ſæpenumero in virtutibus ea ducit & pro eorum defenſione non pudet miſeram oratione vti vehementi.

Quomodo Spiritus ſanctus animam purget, & quid ſit, Spiritum Sanctum extinguere, & contriſtare.

CAP. XXVIII.

SOlummodo Spiritus Sancti eſt purgare mentem: niſi enim ingrediatur fortis ille, & diripiat latronem, numquam præda eripietur. Oportet igitur in omnibus [a] pace animæ Spiritum ſanctum recreare, vt lucernam cognitionis, ſemper apud nos lucentem habeamus: ipſa enim in penetrali mentis ſemper ſplendente, non ſolùm illi.

illi amarulenti, & tenebricoſi Dæmonum appulſus patefiunt, ſed etiam magnopere langueſcunt, ab illo ſancto & glorioſo lumine deprehenſi. Idcirco Apoſtolus ait, ſpiritum nolite extinguere; ideſt, ne per maleficia, & prauas cogitationes Spiritum ſanctum triſtitia afficiatis, ne ſuo illo ſplendore vos deſinat protegere. Nec enim æternum illud, & viuificum Spiritus Sancti, extinguitur; quin potius illius triſtitia, hoc eſt, auerſio, mentem ſine lumine cognitionis obſcuram, & caligine circunfuſam relinquit.

De vno ſenſu mentis ante peccatum: & quando appetitus irrationalis cum rationali conſentiat.

Cap. XXIX.

VNum, vt dixi, ſenſum eſſe naturalem animæ, quinque verò ſenſus plane differre totidem vſibus, atque muneribus partium corporis, ſanctus & benignus ſpiritus Dei nos docet. Mens tamen propter peccatum inobedientiæ in totidem ipſius animæ motus diſtrahitur. quocirca vna quidem pars animæ ad paſſiones ſe adiungit; vnde, quæ ſunt vitæ iucunda, cum

voluptate percipit: altera verò rationis, ac intelligentiæ motu, ſæpe numero delectatur: quatenus mens noſtra ad cœleſtia currere, cum continentes ſumus, expetit. Si igitur veniamus ad habitum contemnendi ea, quæ mundo ſunt pulchra, poterimus etiam appetitum animæ terrenũ cum eiuſdem appetitu compote rationis coniũgere, communicatione ſpiritus Sancti in nobis hoc diſpenſante, niſi enim hæc diuina bonitas efficienter penetralia animæ noſtræ ſplendore illuſtrauerit, non poterimus indiuiduo, ideſt, toto ſenſu bonum deguſtare.

Quomodo, & quando ſenſu mentis diſcernantur conſolationes veræ à falſis.

Cap. XXX.

Senſus mentis eſt guſtus perfectus, quo res diſcernũtur. Quemadmodum enim guſtu, qui eſt ſenſus corporis, bona à malis ſine errore, cum rectè valemus, diſcernentes, ea, quæ ſunt ſuauia, appetimus; ſic mens noſtra, cùm cœperit integra [a] ſanitate, & in multa curarum vacuitate moueri, poteſt etiam diuinam conſolationem affatim ſentire, & à contraria nunquam rapi.

Vt

Vt enim corpus cum terreni cibi ſuauitatem guſtat, experientiam ſenſus habet ab errore liberam, ſic mens cum ſuprà prudentiam [b] carnis gloriatur, ſentire poteſt ſine errore, Spiritus Sancti conſolationem. Guſtate enim (inquit) & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus; memoriamque habere guſtu ſine obliuione per operationem charitatis ad probandum potiora, vt Apoſtulus ait; & hoc oro, vt charitas veſtra magis abundet in ſcientia, & omni ſenſu, vt probetis potiora.

[a] *Integra ſanitas mentis eſt ſtudioſa, & diligens operatio omnium mandatorum Dei, ſicut ſcriptum eſt in Prou. c. 13. timens mandatum, hic ſanus eſt; ideſt, qui mandata non negligit, ſed potiùs diligenter, vt Deum timens ea facit, hic ex turpibus paſſionibus non ægrotat, immo in omni virtute ſanus eſt.*

[b] *Gloriari ſupra prudentiam carnis, eſt delectari ijs, quæ inimica ſunt carni, cuius prudentia mors animæ eſt, & inimicitia in Deum, vt Apoſtolus ait. Carnem enim delectant laxamentum, voluptates, honores, opes: his contraria delectant ſpiritum, cuius prudentia eſt vita animæ, & pax eius cum Deo, ſicut idem Apoſt. ait.*

De falſa conſolatione Satanæ per quietem ſomni immiſſa.

C A P. XXXI.

CVm mens noſtra conſolationem Spiritus ſancti ſentire cœperit, tunc Satanas animam quodam ſenſu ſimulatæ voluptatis conſolatur per nocturnam quietem, quando leuiſſimum ſomnum, & breuiſſimum capit. Si igitur tunc mens ita parata reperiatur, vt nomen Domini Ieſu feruenti memoria retineat, & hoc ſancto, & glorioſo nomine, tanquam armis aduerſus dolos eius vſa fuerit, recedit quidem Diabolus fallax; ſed poſtea ab bellum per ſe cum anima gerendum accenditur. Ex quo rurſus fit, vt mens perfecte iam fallacias Dæmonis agnoſcens, magis proficiat in experientia diſcretionis.

De bona conſolatione animæ, tum per vigiliam, tum per quietem ſomni.

C A P. XXXII.

BOna conſolatio, aut per vigiliam exiſtit, aut etiam per viſum in ſomno, cum quis

quis daturus ſe quieti, in feruida Dei memoria cum charitate eius veluti conglutinatus eſt. Fallax verò conſolatio ſemper,vt dixi, ſe infundit in leuem ſomnum pugilis cum mediocri Dei memoria. Illa enim vera conſolatio,vt potè à Deo proficiſcens,aperte animas ſpiritualium pugilum cum multa eorum lætitia hortari vult ad charitatem: hæc verò falſa,quia vento quodam fallaciæ ſolet animam afflare, nititur ſurripere per ſomnum experientiam ipſius ſenſus mentis, memoriam Dei integrè conſeruantis. Si igitur, vt dixi, reperiatur illic mens bene memor Domini Ieſu,diſſipat quidem illam auram inimici,quæ ſuauis eſſe falsò apparebat, moueturque exultatione ad pugnandum cum eo, tanquam habeat deinceps poſt gratiam velut ſecunda arma ipſam de experientia gloriationem.

Quomodo vera lætitia Spiritus Sancti à falſa Dæmonis dignoſcatur.

CAP. XXXIII.

SI anima certa motione,& non animo ficta ad charitatem Dei inflammetur, quaſi volens etiam trahere corpus ad profundum

fundum illius charitatis, ſiue per vigiliam, ſiue quemadmodum dixi, cum ſomnum capit is, in quo diuina gratia operatur, nihilque omnino aliud tunc cogitet, quam hoc ſolum, ad quod excitata eſt, ſcire oportet eſſe operationem Spiritus ſancti. Tota enim affecta illa inexplicabili dulcedine, nihil aliud poteſt tunc cogitare: quoniam lætitia quadam vehementi perfunditur. Sin autem vllam prorſus dubitationem, aut fœdam aliquam cogitationem mens in illa gratiæ operatione concipiat, quamuis ſancto nomine Ieſu vſa ſit ad propulſandum malum, & non magis ad amorem tantum Dei incendendum, ſciendum eſt, conſolationem illam falſa ſpecie lætitiæ à fallace Dæmone proficiſci: lætitia verò illa eſt inſulſa, & non intima, quippe ab inimico proficiſcens, qui animam vult adulterare. Cum enim viderit mentem experientia ſui ſenſus ſtudioſe gloriari, tunc quibuſdam, vt dixi, conſolationibus, quæ bonæ videantur, animam conſolatur; vt ab illa molli, [a] & humida dulcedine relaxatam, lateat concubitus fraudulentus Diaboli. Hinc igitur cognoſcemus ſpiritum veritatis, & ſpiritum fallaciæ. Nemo enim poteſt diuinam guſtare ſuauitatem, aut amarum Dæmonis ſenſu

ſenſu experiri, niſi ſibi perſuaſerit, gratiam quidem Dei in profundo mentis habitare: malos vero Dæmones circum fundum cordis commorari, quod quidem vellent Dæmones, vt nunquam apud homines crederetur, ne, cum mens hoc perfectè cognoſceret, recordatione Dei ſe aduerſus eos armaret.

[a] *Dæmon mollitiam quandam ſenſum corporis titillantem miſcere ſolet cum voluptate mentis ſpirituali ad decipiendum, de qua re vide. c.76. & 82.*

De duplici charitate, naturali, & ſpirituali; & de vtriuſque conditione.

Cap. XXXIV.

Alia eſt naturalis charitas animæ, & alia, quæ ex ſancto ſpiritu proficiſcitur. Illa enim cum volumus, noſtra motione moderate cietur. Quamobrem facile à Dæmonibus diripitur, niſi propoſitum voluntatis noſtræ vi teneamus. Hæc verò à Spiritu ſancto profecta tam vehementer animam ad charitatem Dei inflammat, vt omnes partes animæ inexplicabili ſuauitate diuini amoris, in infinita quadam ſimplicitate

citate affectionis glutinentur. Tunc enim mens, tanquam grauidata ſpirituali operatione, fontem quendam charitatis, & gaudij profert.

De gratia Dei, quomodo ſola omnes animi motus turbidos tranquillet.

Cap. XXXV.

Sicut mare, cum turbatur, oleo infuſo cedit natura ſua tempeſtas, lenitate olei procellam extinguente: ſic anima noſtra, cum lenitur gratia Spiritus ſancti, iucunde tranquillatur: cum gaudio enim cedit victa ipſius gratia, ſicut ille ſanctus ait: Verùm tamen Deo ſubiecta eſto anima mea, victa inquam Spiritus ſancti gratia, quæ ipſam illam animam inexplicabilis ſuauitatis vmbraculo tegit. Idcirco quamuis ſæpe eam dæmones tunc irritent, manet tamen expers iræ, & plena gaudij: cui enim gratia aduenerit, in eo permanet, ſi ex metu Dei animam ſuam ſine vlla intermiſſione iucunditate afficiat. Iis enim, qui in vita ſpirituali certant, ſpeciem quandam caſtimoniæ affert timor Domini: Timor enim Domini, inquit, caſtus permanet in ſæculum ſæculi.

Quomo

Quomodo anima poßit ſentire gloriam Dei, & de fallacia Diaboli oſtendentis aliquid ſplendoris ſimile.

Cap. XXXVI.

NEmo, cùm ſenſum mentis audit, ſperet videre oculis gloriã Dei, ſentire enim eam dicimus quodam guſtu qui dici non poteſt, diuinæ conſolationis, cùm quis animam purgauerit non autẽ, quòd appareat, ei aliquid eorum, quæ ſub aſpectum cadunt; ſiquidem nunc per fidem, & non per ſpeciem ambulamus, ſicut ait beatus Paulus. Si cui igitur eorum, qui certant, vel lumen, vel figura quæpiam ad ſimilitudinem ignis appareat, ne amplectatur huiuſmodi viſum: eſt enim fallacia inimici manifeſta, quæ quidem res multos fefellit, qui propter ignorantiam à via veritatis deflexerunt. Nos autem ſcimus, quòd quamdiu ſumus in hoc mortali corpore, peregrinamur à Deo, id eſt, vel ipſum, vel aliquid cœleſtium [a] miraculorum eius videre aſpectu corporis non poſſumus.

Vel

[a] *Vel aliquid cæleſtium miraculorum, quale fuit illud lumen diuinum oſtenſum diſcipulis in monte Thabor, quod quidem viderunt non* ὁρατῶς, ſed νοητῶς, *id eſt, non oculis ira affectis, vt noſtri ſunt, ſed oculis corporis factis quodammodo ſpiritualibus, vt patres dicunt, vt ſic videre poſſent.*

De ſomniis à Deo miſſis, & à Dæmone, & de eorum differentia.

C A P. XXXVII.

VIſa, quæ per ſomnum bonitate Dei obiiciuntur animæ, ſunt animæ ſanæ certi quodammodo nuncij, & indices. Quocirca neque ex alia in aliam formam mutantur, neque ſenſum terrent: neque vno impetu ridentibus, aut mœrentibus obiiciuntur; ſed potius cum omni lenitate accedunt ad animam, quam ſpiritualis lætitiæ dulcedine perfundunt. Vnde poſtquam corpus à ſomno excitatum eſt, magno cum deſiderio illam ſomnij lætitiam anima requirit. In viſis verò à Dæmonibus per quietem obiectis per omnia contrà euenit. Nec enim in eadem figura manent: neque figuram, neque formam quietam multo tempore oſtendunt. Quod enim Dæmones ex

propo

propoſito voluntatis non habent,ſed ex ſua ſolũ fallacia mutuantur,non poſſunt diu eo contenti eſſe. Quin potius grandia loquuntur, & plurima minantur, ſæpenumero ſe in ſpecies militum induentes : aliquando etiam occinunt animæ cum clamore. Vnde mens eos agnoſcens, cum pura eſt, videtur ſibi excitare corpus à ſomno,& quandoque etiam lætari, quòd eorum dolos poſſit intelligere. Quamobrem in ipſo ſomnio,dum eos arguit,magna ira commouetur. Accidit verò aliquando, vt bona etiam ſomnia non afferant animæ lætitiam, ſed potius dolorem quendam dulciſſimum, & lacrymas omnis doloris expertes. Hoc autem in his fieri ſolet, qui habent magnos progreſſus in humilitate.

De virtute non credendi vllis ſomnijs.

CAP. XXXVIII.

DIximus, ſicut ab iis, qui experti ſunt, audiuimus, bonorum, & malorum ſomniorum differentiam.Satis nobis ſit pro magna virtute habere, vt nullis omnino per ſomnum viſis credamus. Somnia enim nihil aliud ſunt,vt plurimum, quàm ſimulachra cogitationum errantium : aut rurſus,

ſus, vt dixi Dæmonum ludificationes: demum quamuis à Deo quandoque miſſum ſit viſum, neque admittamus, tamen non iraſcetur nobis ob hanc cauſam ille ſummè miſericors: ſcit enim hoc à nobis fieri propter fallaces inſidias Dæmonum: atque hæc quidem eſt, quam diximus, perfecta ſomniorũ diſtinctio. Contingit verò vt ex ſurreptione quadam ſenſum fugiẽte, (quod nemo, vt arbitror, qui effugiat, reperiatur) anima [a] fœdetur, amiſſo veſtigio perfectè diſcernendi, & fide ſomniis non bonis, tanquam bonis adhibita.

[a] *Fœdari animam dicit pro eo quod eſt, concipere notionem aliquam fœdam, vt ex c.33. intelligi poteſt: hoc autem quin aliquando accidat per ſomnium ex ſurreptione iudicij ſenſum mentis fugiente, atque inde fiat, vt ſomnio non bono credatur, nemo, vt hic pater ſentit, quod effugiat, reperiatur. Quia id ſcilicet, & culpa vacare poteſt, & omnino eſſe extra poteſtatem noſtram etiam ſecundum cauſas antegreſſas.*

Exem

Exemplum ad intelligendum, quomodo nemini exprobret Deus, quòd ſomnio ab eo miſſo non credat.

C A P. XXXIX.

SIt igitur vobis exemplum huius rei famulus, quem reuerſus Dominus noctu, poſt longam peregrinationem, ante veſtibulum domus euocet; cui famulus nullo modo aperire velit: metuit enim ne ſe ſimilitudo vocis fallat, & rerum, quas Dominus commiſit, proditorem faciat; cui quidem non eſt iratus Dominus poſtera die; quin potiùs multis laudibus ab eo dignatus eſt, quòd vocem Domini, fallaciam exiſtimauit, dum nihil ex bonis Domini perdere voluit.

Quando anima poſsit, lumen quod in ſe habet, videre: & quid potiſsimum in vita Monaſtica ſtudendum ſit.

C A P. XL.

NOn eſt dubitandum, quin mens cùm cœperit diuinum lumen in ea operari, tota

tota fiat perſpicua, ita vt [a] lumen id, quod in ſe habet, abunde videat. Hoc verò tunc fit, cum poteſtas animæ dominatur in perturbationes. Quòd autem quicquid menti in figura apparet, ſiue lumen, ſiue ignis ſit, ex callido artificio inimici proficiſcitur, docet nos diuinus Paulus, cum ait tranſfigurari eum in Angelum lucis. Non igitur oportet, vt hac ſpe vllus monaſticam vitam capeſſat; ne hic inueniat Satanas animam facilem ad rapiendum eam ad ſe; Sed vt ſolummodo tales euadamus, qui in omni ſenſu, & plenitudine cordis Deum amemus, quod quidem eſt amare ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente. In quo enim hoc gratia Dei operatur, peregrinatur à mundo, quamuis in mundo ſit.

[a] *Lumen, quod in ſe mens habet, eſt conſcientia, quæ, vt antea c. 18. auctore S. Dorotheo dixi, eſt ratiocinatio quædam inſtar ſcintillæ, illuminans mentem, & dicernens rectum à prauo ingenerata animæ à Deo. Hoc ergo lumen ſatis videt, cum ſublatis paſſionibus diuinitus illuminatur: mens etenim non ſublatis, efficitur conſcientia tanquam lucerna per laternam apparens, vt aiebat idem Dorotheus, ita vt tenuiter*

nuiter eam videat mens: hoc igitur lumen, quod in nobis eſt, vt perſpicue videamus curare debemus, non autem vt videamus aliam ſpeciem luminis, quæ arte dæmonis oſtendi ſolet menti.

De obedientia maxima virtutum, & ianua Charitatis.

CAP. XLI.

OBedientiam eſſe omnium virtutum introducentium principem, exploratum eſt: repudiat enim arrogantiam, parit autem nobis humilitatem. Vnde ianua, atque aditus charitatis in Deum efficitur ijs, qui libenter eam amplectuntur. Hanc cum Adam abjeciſſet, decidit in profundum tartarum: hanc cum amaſſet Dominus cauſa redemptionis, vſque ad crucem patri obediuit: idque cum nulla ex parte infrà illius amplitudinem eſſet, vt cum crimen humanæ inobedientiæ ſua obedientia diluiſſet, eos, qui obedientes eſſent, ad beatam, & immortalẽ vitam reduceret. Primum igitur huius virtutis curam habere oportet eos, qui ſtudium certandi cum ſuperbia

perbia Diaboli ſuſcipiunt. Hæc enim deinceps progreſſa, omnes vias virtutum nobis ſine vllo errore demonſtrabit.

Quomodo oporteat continentem eſſe in omnibus.

Cap. XLII.

COmmune eſt omnium virtutum continentiæ cognomentum; oportet igitur certantem, in omnibus rebus ſe continere. Sicut enim quocumque demum mẽbro hominis, vel minutiſſimo adempto, totum corpus, quamuis ſit parua pars, quæ deſit toti figuræ, informe efficitur. Sic qui vel vnam virtutem neglexerit, vniuerſum continentiæ decorum diſſoluit, ac delet, neſciens. Oportet igitur non ſolùm virtutes corporis ſtudioſè excolere, ſed eas etiam quæ hominem interiorem purgare poſſunt. Quid enim profuerit virginitatẽ corporis ſeruare, ſi anima à Dæmone inobedientiæ præſide adulteratur? Aut quomodo coronabitur, qui ſe à gulæ vitio, & omni corporis cupiditate continuerit, ſuperbiam tamen, & ſtudium gloriæ declinare non ſtuduerit, neque breuem laborem tolerauerit?

uerit? idque cum à iuſtitiæ lance rependendum ſit lumen iuſtitiæ, iis qui opera iuſtitiæ in ſpiritu humilitatis fecerunt.

De vtilitate, & modo ſeruandi continentiam in victu. CAP. XLIII.

SIc igitur oportet in omnes cupiditates eius partis animæ, quæ ratione caret, odium exercere eos, qui ſpiritualiter certant, vt in habitũ illud vertant. Continẽtiã verò in victu ita oportet ſeruare, vt nemo aliquid cibi deteſtetur; hoc enim execrabile eſt, & Dæmonis inuentum. Non enim à cibis, tanquam malis abſtinemus, abſit; ſed, vt à copioſo, & inutili victu nos refrænantes, partes corporis efferueſcentes moderatè caſtigemus; deinde, vt ex eo, quod nobis ſuperat, pauperibus quantum ſufficiat, diſpenſetur; in quo quidem ſincera charitas cernitur.

Quomodo effici poſſit, vt ciborum iucunditas, & cæteræ voluptates libenter reſpuantur.

C A P. XLIIII.

VEſci omnibus cum gratiarum actione, quæ ad veſcendum, & bibendum adhibentur, non pugnat cum regula [a] ſcientiæ. Omnia enim, inquit, valde bona: abſtinere autem libenter à ſuaui, & à multo cibo, maximæ diſcretionis, & ſcientiæ eſt: tametſi, quæ in hac vita iucunda, & dulcia ſunt, nunquam poſſimus iucunde reſpuere; niſi Dei dulcedinem in omni ſenſu cordis, ac omni plenitudine eius deguſtemus.

[a] *Prudentiam ſpiritualem, qua eſt regula ſanctarum virtutum, vocat ſcientiam, ſicut Beatus Petrus 2. c. 1. miniſtrate, inquit, in fide veſtra virtutem: in virtute autem ſcientiam: in ſcientia autem abſtinentiam.*

De nimia continentia victus fugienda.

C A P. XLV.

VT corpus multo cibo onuſtum languidam, & ſegnem efficit mentem, ſic

ſic nimia continentia victus debilitatum facit, vt ea pars animæ, quæ in contemplatione verſatur, in mœſtitia ſit, & in faſtidio ſermonis. Oportet igitur ad motiones corporis cibos etiam accomodare, vt dum corpus valet, quantum conueniat, caſtigetur: dum verò non valet, moderatè leniatur. Nec enim infirmo corpore eſſe debet, qui certat, ſed ita firmo, vt ſuſtinendo certamini, par eſſe poſſit; vt anima etiam laboribus corporis conuenienter purgari queat.

De ratione victus ſoliti temperanda, per moderatam indulgentiam.

CAP. XLVI.

CVm inanis gloria aduerſus nos tumeſcit, nacta ad vitij ſui excuſationem, aduentum fratrum, aut aliorum hoſpitum, quicunque illi ſint, rectè fiat, ſi rationem ſoliti victus aliquantulum temperemus: Sic enim Dæmonem infectis rebus, immo de ſuo irrito conatu dolentem dimittemus: ac legem charitatis cordate implebimus: & [a] myſterium continentiæ, ſine oſtentatione, per illam moderatam indulgentiam ſeruabimus.

[a] *Myſterium continentiæ dicit, quia in ieiunio tanquam in myſterio quodam docemur, oculos, manus, pedes, linguam & reliquos ſenſus, ac partes corporis à peccatis abſtinere.*

De ieiunio ad pietatem referendo.

Cap. XLVII.

Habet quidem per ſe gloriã ieiunium, ſed non apud Deum, eſt enim inſtrumentum, quod ad temperantiam componit eos, qui volunt: non oportet igitur eo gloriari, qui Chriſtianæ religionis pugiles ſumus: ſed ſolùm in fide [a] Dei finem propoſiti noſtri expectare; nec enim cuiuſcunque artis periti de artificio quod profitentur, ex inſtrumentis gloriantur; quin potiùs quiſque eorum formam ſuſcepti operis expectat, vt inde perfectum illud, & abſolutum artis ſuæ demonſtret.

[a] *Finis propoſiti noſtri eſt, omni cuſtodia, vt ait Salom. cuſtodire cor: cuſtodia enim cordis, vt Heſychius presbyter in priore centuria ad Theodulum ait, funditus delet ex corde omnes paſſiones, & mala omnia: & introducit homini cognitionem ſui, & peccatorum ſuorum, ac veram humilitatem, & Charitatem in Deum,*

&

& homines; quæ ad ſpiritualem Dei cultum, qui pietas dicitur, pertinent: corporalis verò exercitatio, vt ieiunia, vigiliæ & alia huiuſmodi cùm bona alioqui ſint, vt pietatis inſtrumenta: & ſi inquit, hominem exteriorem ab operibus peccatorum cohibent, non tamen peccata hominis interioris cohibent, vt iram, inuidiam, &c.

De vtilitate temperati victus ad fructum ſpiritualem animæ.

Cap. XLVIII.

Sicut terra, ſi moderatè ſit irrigata, ſemen ſparſum, quod excipit, cum multa fertilitate effundit: multis verò imbribus madefacta ſpinas tantùm, & tribulos fert: ſic terra cordis, ſi moderato vtamur victu, ſemina ſibi innata, atque inſita pura edit: & illa, quæ ſunt ab Spiritu Sancto ſeminata, cum multa viriditate, & vbertate fructuum profert: ſin verò multo potu madeat, ex omnibus cogitationibus ſuis ſpinas, & tribulos procreat.

De intemperantia victus, quomodo ad libidinem prouocet: & de remedio, & eius ratione.

C a p. XLIX.

CVm mens noſtra in fluctu largi potus natat, non ſolùm libidinosè intuetur ſimulacra, quæ per ſomnũ Dæmones figurant; ſed in ſe ipſa quaſdam formas pulchras fingens, viſis ſuis tanquam quibuſdam adamatis vtitur ardenter. Tepefactis enim feruore vini illis partibus corporis, quæ ad generandum datæ ſunt, neceſſe eſt omnino, vt mens ſibi vmbram libidinis cum voluptate repræſentet. Opus ergo eſt, vt moderatione victus vtentes, incommodum, quod ex redundantia proficiſcitur, vitemus. Cùm enim mens voluptatem, qua ad pingendum peccatum illecta ſuccendatur, non habet, tota manet ſine imaginationibus; & iudicium forte, ac virile.

De luxuria mixti potus.

C a p. L.

OMnia poculenta arte facta, quæ eorum artifices propomata, quaſi antepocula

pocula vocant; quòd multitudinem ciborum ad ventrem deducant, declinare oportet eos, qui partes corporis turgeſcentes cohibere volunt: non ſolùm enim eorum qualitas corporibus pugilum ſpiritualium nocet, ſed ipſa eorum peruerſa temperatio conſcientiam, quæ eſt ſedes Dei, percutit. Quid enim in natura vini deſideratur, vt variis condimentis permixtis, vini firmitudo mollicie frangenda ſit?

Quid Dominus docere voluerit, bibendo in Cruce acetum ex ſpongia circumpoſita hyſſopo.

Cap. LI.

Dominus noſter, idemque vitæ ſanctæ Magiſter Ieſus Chriſtus acetũ in paſſione ab ijs, qui Diabolo miniſtrabant porrectum bibit, vt perſpicuam normam, quemadmodum in ſacro certamine animo affecti eſſe debeamus, vt mihi videtur, relinqueret. Non enim (inquit) oportet iucundis potionibus, aut cibis, vti eos, qui aduerſus peccatum dimicant; immò acerbitatem pugnæ toleranter ſuſtinere. Adiũctum verò eſt in illa contumelia hyſſopum

ad ſpongiam, vt forma noſtræ purgationis exemplo perfectè repræſentaretur. Illud enim acre, proprium eſt certaminis: vis vero tergendi, perfectionis.

De balneatione fugienda ſpiritualibus, & quare.

CAP. LII.

Conferre ſe ad balneum, nemo peccatum, aut à ratione alienum eſſe dixerit: propter continentiam tamen ab eo ſe abſtinere, & virile, & maximè temperantis eſſe dico. Nec enim illa voluptaria lauatio corpus noſtrum emolliet; nec veniet in mentem illius turpis nuditatis Adam, vt de illius folijs[a] ad tegendam ſecundam nuditatem turpitudinis ſoliciti ſimus, ij præſertim, qui paulò ante ab huius vitæ corruptione per caſtitatem corporis noſtri exilientes, cum pulchritudine temperantiæ copulati eſſe debemus.

[a] *Solicitum eſſe de foliis Adæ ſignificat, ſolicitum eſſe de pœnitentia: per quam remittitur peccatum, quod eſt tegi peccatum à Deo: folium enim ex ficu adhibuit Adam ad pœnitentiam, propter*

propter aſperitatem, vt ait Irenæus lib. 3. contra hæreſes, & ad tegenda genitalia propter pudorem, vt ait Photius, & hic pater.

Quare opus ſit in cœnobijs vocare Medicum ad curationem morbi.

CAP. LIII.

MEdicos vocare, cùm non valemus, nihil prohibet. Etenim quia erat aliquando experimento humano colligendà ars medicinæ, idcirco prius extiterunt medicamenta ac remedia. Verùm nõ oportet ſpem ſanationis in illis collocare, ſed potiùs in vero Saluatore, & Medico noſtro Ieſu Chriſto. Hæc verò illis, qui in cœnobiis & ciuitatibus propoſitum continentiæ excolunt, dico: tum quia propter [a] circonſtantias, quæ accidunt, non poſſunt ſine vlla intermiſſione fidem per charitatem operari: tum etiam, ne in cupiditatem inanis gloriæ,& in tentationem Diaboli incidant. Ex quorum numero nonnulli ſe non egere medicis coram multis profitentur: at ſi quis vitam anachoreticam, ideſt, ab oculis hominum remotam in locis deſertis, inter duos, aut tres vnius moris Fratres degit, quibuſcunque ille

morbis conflictetur, applicet ſe in fide ad Dominum, qui ſanat omnem morbum, & omnem languorem. Habent enim poſt Dominum, ſatis magnum ſolatium [b] ægritudinum, ipſam ſolitudinem. Vnde neque ab exercitatione fidei vnquam vacat iſte, eo maxime, quod non reperiat ibi locum oſtentandi virtutem tolerantiæ, pulcro vſus tanquam velo, ſolitudine: idcirco Dominus habitare facit vnius moris in domo.

a *Quia eos, quibuscum multis verſandum eſt, ſæpe accidit, vt propter lapſus ex occaſionibus oblatis, & varijs circunſtantijs, cor reprehendat, (huc enim ſpectat, quod ait hic pater non poſſe iſtos aſſiduè fidem per charitatem exercere) non poteſt fieri; vt ſemper, ſicut ait Ioan. fiduciam illam habeant, quod quicquid petierint, accipiant, quia mandata Dei cuſtodiant, & quæ ſunt placita coram eo faciant, hoc autem facilius, & expeditius facere poſſunt, qui in ſolitudine liberi ab iſtis cicunctantiis in operatione vnius & ſimplicis charitatis ſemper degunt, quos propheta vocat vnius moris in domo, & hic pater interpretatur Anachoretas binos, aut ternos ſolos habitantes, idcirco hos quidem medicis carere tutum eſſe poteſt, illos vero,*

ro, qui cum multis habitant, & verſantur non eſt tutum.

[b] *Ipſa ſolitudo ſatis tunc conſolationis affert; quia eo magis facit Deo fidere, qui eſt verus medicus, quominus auxilium artis medicinæ expectatur.*

Quid indicet ferre moleſtè morbum, & quid rurſus non ferre moleſtè.

CAP. LIV.

CVm morbos corporis moleſtè ferimus, ſcire oportet adhuc cupiditates corporis in anima dominari, ex quo fit, vt deſiderio corporalis indulgentiæ nolit à bonis vitæ huius recedere: quin potius magnum negocium eſſe putat, non poſſe propter morbos frui ijs, quæ in vita ſunt pulchra. Rurſus verò ſi angores ægritudinum animo grato excipiat, argumentum eſt, nō procul ab indolentia, id eſt, à vacuitate turbidarum affectionum abeſſe: Vnde & mortem, tanquam occaſionem vitæ verioris tunc magno cum gaudio expectat.

Quid faciendum, vt anima deſideret à corpore ſeparari.

CAP. LV.

NVnquam cupiet anima à corpore ſeparari, niſi ita affecta ſit, vt nulla huius aëris quem ſpiramus, voluptate capiatur. Omnes enim ſenſus corporis aduerſantur fidei: ſiquidem ſenſus ſunt præſentium; fides verò bonorum tantùm futurorum copiam, & magnificentiam promittit: quocirca opus eſt pugilem ſpiritualem, neque arbores pulchris diffuſas ramis ad opacandum, neque amœnas fontium ſcaturigines, neque varietatem pratorum; neque elegantes ædes; neque conſuetudinem cognatorum vnquam cogitare; neque de gloria, & celebritate honorum, ſi ita accidat, meminiſſe; ſed potius vti quidem neceſſariis cum gratiarum actione: vitam verò hanc exiſtimare viam quandam peregrinam & omni oblectatione carnis vacuam. Sic enim mentem noſtram in arctum cogentes, totam ipſam ad veſtigia æternæ viæ conuertemus.

Quomodo

Quomodo vti ſenſibus corporis immoderatè, faciat difficilem memoriam Dei.

C A P. LVI.

QVod aſpectus, & guſtus, & reliqui ſenſus memoriam cordis diſtrahunt, cùm ipſis immoderatè vſi ſumus, Eua hoc nobis prima confitetur: Tantiſper enim dum illa libenter ad arborem interdictam non aſpexit, memoriam diuini iuſſi ſtudioſè retinebat. Quamobrem veluti alis diuini amoris tegebatur, vnde nuditatem ſuam ignorabat: poſtquam verò lignum libenti animo vidit, ac valde cupidè fructum eius attrectauit, & cum vehementi guſtauit voluptate, continuò ad complexum corporis delinita eſt, adiungens ſe libidini, vt nuda, totamque ſuam cupiditatem ad fruendum præſentibus tradidit, poſtquam Adamum cum peccato ſuo propter fructum aſpectu iucundum miſcuit. ex quo factum eſt, vt deinceps mens humana Dei, aut mandatorum eius difficilè meminiſſe poſſet: degamus igitur nos in hac vita fallace, ſemper in profundum cordis noſtri cum perpetua Dei memoria, tanquam oculis capti, intuentes: porfecto enim ad ſpiritua-

le

le ſtudium virtutis pertinet, adimere ſemper alas deſiderio earum rerum, quas videmus, quòd nos Iob ille experientiſſimus docet, cùm ait, [a] *ſi ſecutum eſt cor meum oculum meum*, quæ res ſummæ continentiæ eſt index.

[a] Iob. 31.

Quomodo, qui ambulat ſpiritu, neſcit deſideria carnis.

Cap. LVII.

QVi [a] verſatur ſemper in corde ſuo, abſens prorſus à iucundis rebus vitæ huius peregrinatur. Qui enim ambulat ſpiritu, non poteſt deſideria carnis noſſe: quandoquidem iam deinceps, in arce virtutum ſuas ambulationes conficit, vtiturque iis ipſis virtutibus, veluti ianitricibus caſtimoniæ, quæ eſt inſtar ciuitatis paruæ. Ex quo fit, vt in hoc irritæ ſint machinæ Dæmonum, quamuis vſque ad [b] feneſtras naturæ, tela [c] vulgaris amoris pertingant.

a *Verſari*

a *Verſari in corde eſt, eſſe ſemper intentum ſtudio cognoſcendi ſeipſum, & paſſiones purgandi ex charitate Dei, quod eſt ſpiritu ambulare: ſicut Apoſt. præcepit.*

b *Feneſtras natura vocat viſum, auditum, & reliquos ſenſus, & ſi enim qui ſpiritu ambulat, verbi gratia, impudica audiat, & videat, vt ſanctus Loth, quia videre, & audire dolet,* aſpectu, & auditu iuſtus eſt, *vt de ipſo illo Loth dicit beatus Pet.2.c.2.*

c *Amorem vulgarem Græce* πάνδημον *vocat,* amorem μοιχικὸν, *id eſt, fornicarium, & adulterinum. Sic S. Athanaſius in epiſt. ad Ammum Monachum conſuetudinem, ſiue vſum cum* muliere non ſua vocat. χρῆσιν ἤγουν μίξιν δημώδη, *id eſt,* popularem, *cum ſua vero* ἔννομον, *id eſt,* legitimum.

De acedia, quæ ſolet poſt repudiatas voluptates corporis contingere.

Cap. LVIII.

CVm cœperit anima noſtra non amplius ea, quæ pulchra, & iucunda ſunt, concupiſcere; tunc eam deſidioſa quædam mens, vt plurimùm ſubit, quæ neque officio ſermonis eam ſinit libenter ſeruire: neque

expe

expeditum deſiderium futurorum bonorum ei relinquit: immò & hanc caducam vitam ceu valde inutilem habet, vt non habentem opus virtutis, dignum: ipſamque cognitionem pro nihilo ducit: aut tanquam aliis quoque multis tributa ſit: aut tanquam nihil perfectum nobis [a] ſignificare promittat. Hanc autem tepiditatis, & corporis ægritudinem fugiemus, ſi menti noſtræ valde anguſtos meatus definiemus, vt ſolùm Dei memor ſit. Hac enim ſolummodo ratione ad ſuum reuerſa feruorem, poterit rurſus ab illa per ſegnitiem diſtractione, ſine dolore remoueri.

a *Nunc cognoſcimus ex parte*, inquit Apoſt. *cùm autem venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt.* & Daniel. c. 12. *multiplex*, inquit, *erit ſcientia*, & Dionyſ. Areop. c. 1. cœleſt. Hier. *explicationes doctrinæ ſacræ in Eccleſia, ſignificare ait copioſam illam; & cœleſtem mentium beatarum contemplationem cognitio ergo Dei, & mandatorum eius per operationem charitatis ſpiritualis comparata, quæ ſancta cognitio eſt, permittit: nobis perfectam illam in cœlis cognitionem, quam Apoſtolus dicit.*

Quomo

Quomodo mens reddi poßit certa de diligentia ſua in ſpirituali certamine per memoriam feruentem nominis Ieſu.

C A P. LIX.

CVm omnes mentis exitus memoria Dei occluſerimus, omnibus modis à nobis requirit ipſa mens opus,ex quo diligentiam ſuam plenè noſſe debeat.[a] Oportet igitur tradere illud ſolum, [b] Domine Ieſu Chriſte,ad integram, & ſolidam propoſiti tractationem;nemo enim (inquit) dicit,Domine Ieſu,niſi in Spiritu Sancto. Verùm ita arcte verbum iſtud in intimo ſuo receſſu omni tempore contempletur, vt ad nullas imaginationes abduci poſſit. Quicunque enim ſanctum & glorioſum nomen hoc,in profundo cordis continenter meditantur, hi etiam lumen mentis ſuæ ſemper videre poſſunt.

Cùm enim arcta ſolicitudine illud in mente retinetur,ſordes quæ in anima apparent, cum multo ſenſu exurit.[c] Deus enim (inquit)ignis conſumens eſt, vnde animam deinceps ad amorem gloriæ ſuæ vehementer

ter incitat Dominus.[d] Illud enim glorioſũ, & optabiliſſimum nomen, ſi diutius in memoria mentis cum feruore cordis habeatur, habitũ planè bonitatẽ eius amãdi in nobis, nullo iam impedimento obſiſtente, gignit. Hæc eſt enim precioſa margarita, quam qui omnem ſubſtantiam ſuam vendiderit, comparare poteſt, & lætitiam maiorem, quam dici poſſit, de inuentione habere.

[a] *Non eſt dicere Domine Ieſu, verbo ſolum dicere: ſed opere, & veritate, ſicut ait Ioannes, vt cum operamur opera ſalutis, hæc enim ſunt opera Ieſu, quod verbum ſaluatorem ſignificat, & qui hæc operatur, facit voluntatem Domini, vt fidelis ſeruuus. Hic igitur dicit vere, Domine Ieſu in corde ſuo.*

[b] 1. Cor. 12.

[c] Heb. 14.

[d] Deut. 4.

De duplici gaudio, inchoante, & perficiente, & vſu vtriuſque, & de lachrymis mediis inter vtrumque.

Cap. LX.

Aliud eſt gaudium inchoans, & aliud perficiens; illud quidem non eſt [a] imagi

imaginationibus vacuum. [b] Hoc verò vim habet humilitatis: his autem interiecta eſt triſtitia Deo amica,& lachrymæ ſine dolore. Etenim quia in multitudine ſapientiæ multitudo(inquit)cognitionis;& qui addit cognitionem, addit dolorem, idcirco opus eſt,vt primum quidem gaudio inchoante ad certamen ſpirituale anima prouocetur:deinde,vt à veritate Spiritus Sancti arguatur, & probetur. Tum in iis, quæ praue egit, tum in iis,quæ adhuc agit:in redargutionibus enim(inquit)ſuper iniquitate corripuit hominem, [f] tabeſcere feciſti, ſicut araneam animam eius, vt cum diuina reprehenſio, tanquam in ardenti fornace animam probauerit, tunc operationem gaudij ſine imaginationibus cum feruida Chriſti memoria capiat.

[a] *Gaudium inchoans, quod non caret imaginationibus eſt, vt ſi quis verbi gratia videatur ſibi volare in cœlum, aut intereſſe choro beatorum, aut aliquid ſimile: quod euenire ſolet aliquando, cum quis primum vocatur ad relinquendum ſæculum.*

[e] Eccl. 1.
[f] Pſal. 38.

Quomodo

Quomodo mens, paſſionibus libera, gratia Dei adiuuante, cito obliuionem Dei expellat.

C a p. LXI.

CVm anima ira commouetur, aut offuſa eſt ei caligo ex crapula, aut graui angore afficitur, non poteſt mens, tametſi ipſa anima vim ei quodammodo adhibeat, memoriam Domini retinere; quin potius tota mens vehementia perturbationum obſcurata, à ſuo ſenſu ob hanc cauſam prorſus alienatur. Quamobrem non poteſt deſiderium ſigillum ſuum imprimere, vt mens ſine obliuione ſpeciem meditationis ferat, dureſcente memoria eius propter feritatem perturbationum. Sin autem extra perturbationes poſita ſit, tametſi pauliſper obliuio illud promptum animi ſurripiat, tamen cito mens, ſolertia ſua vtens feruenter, illam ſalutarem, & maximè expetendam prædam apprehendit. Habet enim tunc ipſam gratiam vnà cum anima meditantem, & clamantem, Domine Ieſu, ſicut mater puerulum ſuum docet, & cum eo meditatur paternum nomen, donec ad habitum eius

eius nominis eum perducat: & infans puer pro aliquo alio puerili ſermone clarè patrem etiam dormiens appellet. Idcirco ait Apoſt.[a] Similiter autem, & ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram: quid enim oremus, quomodo oportet, neſcimus; ſed ipſe ſpiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: etenim quia ad capiendam virtutis orandi perfectionem paruuli ſumus, omnino auxilio eius indigemus: vt cum eius dulcedo maior, quàm dici poteſt, omnes cogitationes commiſceat, & ſuauitate perfundat, toto cum affectu ad memoriam Dei, & charitatem excitemur. Quamobrem cum in ipſo, vt idem Paulus ait, Deum patrem inclamamus, ab ipſo componimur ad vocandum ſine intermiſſione, Abba pater.

[a] *Rom.* 8.

De ira, quomodo, & quando ea vtendum: modo vtiliter à Deo data ſit.

Cap. LXII.

Ira plus quàm aliæ paſſiones perturbare, & confundere animam ſolet, aliquando verò magnopere vtilis eſt; cum enim contra eos, qui aliquid iniquè, aut flagitioſè, quod

quodcũque illud ſit, committunt, ea ſedate vtimur, vt, aut ſalui fiant, aut pudore afficiantur, tunc manſuetudinem ei adiungimus; eodem enim tendimus, quo iuſtitia, & bonitas Dei ſpectant. Immo ſæpe, cum grauiter peccato irati ſumus, illud fœmineum quod in ira ineſt, virile facimus. Quod autem in ipſum ſpiritum interius frementes, cum in magno mœrore, & luctu ſumus, ſupra ipſam mortis [a] gloriationem efferimur, non eſt dubitandum, quod quidem, vt nos doceret Dominus, animam Lazari reddidit corpori poſtquam bis in ſpiritu infremuiſſet in mortem, ſeque conturbaſſet: cum alioqui omnia voluntate ſola ſine vlla conturbatione, quæcunque vult, efficiat. Vt iam, mea quidem ſententia, ira moderata magis tanquam telum naturæ noſtræ ab auctore noſtro tributa ſit. Quo ſi Eua contra ſerpentem vſa fuiſſet, nunquam ab illa falſa voluptate delinita eſſet. Vnde, vt mihi videtur, qui propter ſtudium, & ardorem pietatis ira vtitur ſedate, probatior in lance remunerationum reperietur præ eo, qui nullo modo propter mentis immobilitatem ira mouetur: hic enim aurigam ſenſuum hominis inexercitatum habere planè cernitur; ille verò

ſemper

ſemper in equis virtutis, certandi ſtudio feruens, vehitur inter medias Dæmonum copias, [b] Quadrigam continentiæ in timore Dei omni tempore exercens, quam quidem currum Iſraël apud ſcripturam, cum Elias ille in ſublime ſublatus eſt, dictam eſſe legimus: ſiquidem Iudæis primum, de quatuor virtutibus excellenter locutum eſſe Deum videmus. Idcirco totus, & in curru ignis ſublatus eſt ille tantus, ac tam admirandus ſapientiæ alumnus, tanquam equis, vt mihi videtur, ſuis vſus virtutibus in Domino, qui illum in aura ſpiritus ignis rapuit.

[a] *Gloriationem mortis vocat illam, de qua Apoſt. ait Oſeam Prophetam ſecutus, & interpretatus, vbi enim mors victoria tua? victoria enim mortis peccatum erat; quo ſublato, victa eſt mors ſupra hanc gloriationem mortis ſentit, qui ſicut decet, moderate mortem alicuius deflet, tanquam qui ſpem habeat reſurgendi: & meliorem vitam ab omni gemitu, & dolore, ac lachrymis liberam expectet. Eſtque ille fletus mortis quidam fremitus in mortem ipſam, ac genus quoddam pia ira in eam propter peccatum, per quod mors introiuit, cuius imperium, ſicut Apoſt. ait, habebat diabolus, quem hic vocat S. Diadochus ſpiritum interitus.*

[b] *Virtutes*

[b] Virtutes vocat anagogicè currum ſcriptura ſancta propter earum connexionem : equos propter certamen ipſarum cum paſſionibus, in quo certamine maxime opus eſt fortitudine, quam ſignificat in ænigmate τὸ θυμοειδὲς equorum, id eſt, ira eorum, vt ait Dionyſ. c. 15. cœl. Hier. quadrigâ vero continentiæ, id eſt, virtutis, dixit, quia quatuor ſunt virtutes principales, ad quas cætera referuntur. Illud vero igneum in curru, ſignificat diuinam ſimilitudinem, quæ ineſt in virtutibus ſpiritualibus, id eſt, charitate illuminatis. Eſt enim ignis Symbolum diuinitatis propter ſimilitudinem diuinarum proprietatum, quæ ineſt in proprietatibus ignis, quas idem Dionyſ. diuine explicauit.

Quomodo ſpiritualis non debeat, neque aliis litem intendere, neque ſua in iudicio recuperare.

CAP. LXIII.

QVi particeps ſanctæ cognitionis factus eſt, & dulcedinem Dei deguſtauit, neque litigare debet, neque vlli litem intendere, tametſi veſtitum, quo indutus eſt, alius detrahat: iuſtitiam enim magiſtratuum huius ſæculi iuſtitia Dei omnibus modis

modis ſuperat,& antecellit. Immò nihil illa eſt ad iuſtitiam Dei; quæ enim diſtantia inter eos, qui Dei,& huius ſæculi diſcipuli, & alumni ſunt, ſi horum ius cum iuſtitia Dei collatum non cernitur imperfectum, ita vt alterum dicatur humanum ius, alterum diuina iuſtitia? Sic igitur & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cum malediceretur, non maledicebat; cum patiebatur,non minabatur: [a] Quinimmo paſſus eſt cum ſilentio detrahi ſibi amictum: &, vt quod plus eſt dicam, pro ſalute maleficorum patrem precabatur:homines verò huius ſæculi non prius litigare deſinunt, quàm cum quæſtu interdum res ab iis à quibus in iudicium vocati ſunt, recuperent, præſertim cum ante debitum vſuras ferunt, ita vt ius ſæpe initium magnæ iniuriæ ſit.

[a] 1. Pet. 2.

De iis, qui cauſam litigandi excuſant.

Cap. LXIV.

AVdiui pios quoſdam dicere, non licere dare locum quibuſcunque diripiédi ea, quæ ad nos alendos, vel ad pauperes recreandos habemus; præſertim ſi qui hoc committunt Chriſtiani ſunt; ne dum tole-

ranter ferimus, iis, qui nos iniuria afficiunt occaſionem peccandi præbeamus. Hoc verò nihil aliud eſt, quàm per ſimulationem ſua magis, quàm ſe amare. O excuſationem à ratione alienam. Si enim derelicta oratione, & cuſtodia cordis aduerſus eos, qui me vexare, & diripere volunt, paulatim incipiam cauſas dicere, & ad tribunalium veſtibula aſſiduus eſſe; liquet iam, pluris me facere recuperata per iudicium, quam ſalutem meam, ne dicam, quam ipſum mandatum ſalutare. Quomodo enim omnino ſequar, quòd Euangelium iubet, non repetere, ſi quis mea tollat, ſed potius læto animo ſufferre; & ſicut Apoſtolus ait, cum gaudio ſuſcipere direptionem bonorum meorum, quando neque qui in iudicio diſceptauit, & quæ voluit recuperauit, violentum illum vſurpatorem peccato liberat? ſiquidem non poſſunt [a] præſcribere æterno Dei iudicio iudicia, quæ in terra exercentur. Has enim leges ſatis implet reus, apud quas contingit ei cauſam ſuam defendere. Quare præclara res eſt perpeti violentiam eorum, qui volunt iniuriam facere; & preces pro eis adhibere, vt per pœnitentiam, non autem per reſtitutionem eorum, quæ diripuerunt, de crimine direptionis abſoluantur.

uantur. Hoc enim iuſtitia Domini poſtulat, vt eum, qui rapuit, non quæ rapuit, recuperantes, eundem per pœnitentiam liberemus.

[a] *Non præſcribunt iudicia ſæculi iudicio Dei, quia qui legem ſæculi implet, & ſecundum eam liberatur, vt is, qui in iudicio reddit alienum, non ſtatim impleuit legem Dei de occultis cogitationibus, & voluntatibus, vt ſecundum eam liberetur: non ſatis eſt in iudicio Dei, non tollere alienum, aut ſublatum reſtituere: ſed opus eſt etiam, neque velle tollere: & dolere ſuſtuliſſe.*

De præſtantia, & vtilitate vendendi omnia, & tribuendi ea pauperibus.

Cap. LXV.

Res apta, & omnino vtilis eſt poſt cognitam viam pietatis in Deum, vendere ſtatim omnia bona noſtra, & pecuniam redactam, ſecundum mandatum Domini diſpenſare, ac non potius per ſimulationem obediendi mandatis Dei, monitum ſalutare non audire. Hinc enim ſequetur primum quidem optima vacuitas ſolicitudinis; tum

deinceps ſecura, & ab inſidiis tuta paupertas, quæ altiora cogitat, quàm de vlla iniuria, aut lite: idque quia non amplius habet materiam, quæ ignem auaritiæ inflammet. Fouebit autem nos tunc, magis quàm reliquæ virtutes, humilitas, quæ ſinu ſuo & complexu nudos recreabit, ſicut mater puerum ſuum gremio exceptum fouet; cum is puerili ſimplicitate ductus, veſtitum ſuum exuit, & procul abiicit, magis tunc nuditate, vt omnis malitiæ expers, quàm varietate veſtitus lætus. [a] Cuſtodit enim, inquit, paruulos Dominus: humiliatus ſum, & liberaſti me.

[a] Pſ. 114.

De ÿs qui dicunt, vnde fiet eleemoſyna pauperibus, qui quotidie noſtris bonis alebantur, ſi omnia ſemel vendiderimus?

Cap. LXVI.

Sanè quidem ſecundum id, quod habemus [a], non autem ſecundum id, quod non habemus, repoſcet à nobis Dominus rationem eleemoſynæ. Si ergo quod diu poteram largiri, breui tempore propter metum Dei benigne diſpertio, de qua re amplius

amplius, cum nihil habeam, accuſabor? ſed dicet aliquis, vnde igitur miſericordia tribuetur iis pauperibus, qui ſolebant noſtris mediocribus bonis paulatim gubernari? diſcat iſte non exprobrare Deo per occaſionem auaritiæ ſuæ: non enim deerit Deo facultas ſuos quos fecit, gubernandi, vt à principio gubernauit: nec enim priuſquam hic, aut ille ad tribuendam, eleemoſynam excitati eſſent, cibus, aut veſtitus pauperibus deerat. Præclara ergo res eſt, ſtatim percepta cognitione melioris ſtatus, bene largiendo abiicere temeritatem gloriandi ex diuitijs, odio habentem cupiditates; quod eſt animam ſuam odiſſe. vt iam non amplius largitione opum lætantes, nos ipſos nihili faciamus, tamquam nihil boni agentes; dum enim diuitiis affluimus, mirifice ijs largiendis delectamur, ſi tamen virtute vtimur, tanquam hilariter iuſſui Dei ſeruientes: poſtquam verò bona omnia exhauſta ſunt, infinitus tunc ſubit dolor, & ſummiſſio, quaſi nihil iuſtitia dignum agamus. Ex quo fit, vt ad ſe anima cum multa ſummiſſione redeat: vt quod non poteſt quotidie per eleemoſynam ſibi comparare, hoc per laborioſam orationem, & per tolerantiam, atque hu-

militatem poſſit : pauper enim (inquit) & inops laudabunt nomen Domini:nec enim chariſma theologiæ , ideſt , tractationis verbi Dei , vlli à Deo præparatur , niſi ſe ipſe ita præpararit , vt propter gloriam Euangelij Chriſti omnium bonorum ſuorum relinquat poſſeſſionẽ , vt in paupertate Deo amica diuitias Euangelij regni Dei prædicet : hoc enim perſpicuè ſignificauit, qui dixit , paraſti in bonitate tua pauperi Deus,& ſubiungit;Dominus dabit verbum euangelizantibus viertute multa.

[a] 2. Cor. 8.
[b] Pſal. 73.
[c] Pſal. 67

De Chariſmate theologiæ, & quot,& quanta bona ex ea proficiſcuntur.

Cap. LXVII.

Omnia dona Dei ſunt valde bona , & omnium bonorum cauſa; ſed nullum ita noſtrum cor inflammat ; & illud ad amãdum bonitatem eius excitat, vt donum Theologiæ : cum enim ſit fœtus [a] matutinus gratiæ Dei , prima etiam dona largitur animæ : primum enim facit , vt libenter,

ac iucunde omnes vitæ huius amicitias contemnamus, vt qui pro cupiditatibus fluxis diuitias verbi Dei maiores, quam dici poteſt, habeamus. Deinde mentem noſtram [b] igne naturam mutante colluſtrat: vnde conſortem [c] miniſtrantium ſpirituum eam facit. Hanc igitur virtutem, Fratres chariſſimi, idoneè adhoc præparati concupiſcamus; quæ pulcherrima eſt, quæ omnia contemplatur, quæ omni ſollicitudine vacuum facit; quæ fulgore arcani luminis plena eſt: & mentem verbis Dei alit, & quæ Deo verbo (ne multa dicam) animam rationis participem per ſanctos Prophetas ad inſeparabilem cum eo coniunctionem deſpōdit: vt apud homines (ô rem admiratione dignam) hæc diuina pronuba voces, quibus ſimiles Deo efficeremur, & theologici ſermones diſerte canerentur, aptaret.

[a] *Fœtum matutinum gratia Dei vocat gratuitam anticipationem cognitionis Dei, & via veritatis factam in anima in ipſo ſtatim matutino tempore, cùm primùm elucere cœpit ex Deo ratio omnibus inſita, quæ vt ait Greg. Naz. in libro de Theologia, prima in nobis lex, & cum omnibus copulata nos ad Deum adduxit*

ex iis, quæ videntur: hinc Iob 36. omnis homo vidit in ſe ipſo hunc, ſcilicet matutinum fœtum diuinæ cognitionis à Deo datæ: de qua in Eccl. c. 24. doctrinam, inquit, quaſi antelucanam illumino omnibus: ad hunc fœtum matutinum cognitionis Dei gratuitæ pertinet illud Ap. quod enim notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis reuelauit.

[b] *Igne naturam mutante, ad illum locum Euangelij ſpectat hoc, vbi Dominus prædicationem verbi Dei vocat ignem, Luc. 12. cùm ait; ignem veni mittere in terram, quia ſicut ignis, quod comburit, ſimile ſibi efficit, ſic ſcientia verbi Dei Deó efficit ſimiles, à Deo, qui eſt ignis conſumens præparatos: naturam verò mutat huiuſmodi ignis, quia ex filijs iræ natura, facit filios Dei, ſicut Dominus præcepit, inquiens, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine &c.*

[c] *Conſortem ſpirituum miniſtrantium facit mentem theologia, quia per miniſterium verbi Dei conuertuntur ad Deum homines, quod eſt officium Angelorum; omnes enim ſunt adminiſtratorij ſpiritus ad miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem ſalutis capiunt.*

Quæ

Quæ ſit cauſa, cur mens noſtra difficilis ſit ad orationem; facilis verò ad diuinorum contemplationes.

CAP. LXVIII.

MEns noſtra vt plurimum difficilis eſt ad orationem propter [a] anguſtam, & contractam virtutem orandi; ad Theologiam verò ſe dat libenter propter latitudinem& laxitatem res diuinas contemplãdi: vt igitur non faciamus ei liberum vt multa loqui libeat, nec immoderate exultare, permittamus, quàm plurimum in oratione, & pſalmorum cantu, & ſanctarum ſcripturarum lectione occupemur: neque commentationes virorum diſertorum negligamus, quorum fides ex ſermone dignoſcatur: non enim, cum hoc fit, locus datur, vt mens noſtra verba propria cum verbis gratiæ miſceat; aut ab inani gloria trahatur per nimiam exultationem, ac loquacitatem diſtracta, immò & ipſo contemplationis tempore mentem extra omnem phantaſiam cuſtodiemus, ac cunctas ferè cogitationes, quæ ad excitandas lachrymas valent, hinc ei comparabimus.

illis enim quietis temporibus recreata mẽs & ipſa orationis dulcedine maximè delinita, non ſolum illis, quæ diximus, vitiis liberatur, ſed etiam vires adhuc renouat, quas celeriter, ac ſine labore ad diuina contemplanda intendat: ſimulque in contemplatione ea diſcernendi, multa ſummiſſione proficiat. Illud tamen aduertendum eſt, eſſe quidem orationem [c] ſupra omnem latitudinem: ſed hæc illorum eſt, qui in omni ſenſu & plenitudine, diuina gratia impleti ſunt.

[a] Anguſta, & contracta eſt orandi virtus, quia non ſinit mentem aliò egredi, ſed potius mentem, & corpus coram Deo ſiſtit: ita vt non poſſit ſiſti mens coram Deo ſine corpore, vt ait Marchus Anachoreta in epiſtola ad Scholaſticum, neque corpus ſine mente: non enim aſtat Deo mens, ſi aliud agunt ſenſus corporis: neque repræſentatur Deo corpus; ſi in alio loco, aut re eſt mens: idcirco præcepit Dominus intrare in cubiculum, & orare clauſo oſtio, vt ſignificaret in ænigmate non eſſe tunc aperiendos, aut laxandos meatus, & exitus menti, neque feneſtris ſenſuum: ſed neceſſe eſſe tunc mentem, & ſenſus omnes in hoc vnum negotium orationis arcte contrahi, vt non alio exeant, ac tunc quidem

dem oratur in Spiritu Sancto; quia huiuſmodi orationem Spiritus Sanctus ad ſe admittit: hoc enim ſignificat, orare in ſpiritu, vt Greg.Naz. in libro de Spiritu Sancto interpretatur.

[b] *Verba gratiæ vocat verba ſcripturæ ſanctæ diuinitus inſpiratæ, eſt autem ſumptum, vt ſic vocet, ex Luc. c. 4. verba propria vocat verba mendoſa, ſicut ſcriptum eſt; omnis homo mendax, & de Diabolo: cum loquitur mendacium, ait Euan. ex propriis loquitur,quia mendax eſt.*

[c] *Ideſt, plus lætatur anima perfectorum oratione, quæ illos cum Deo vnit, & ei adhærere facit, quàm fuſa, & lata contemplatione diuinorum myſteriorum.*

Quomodo gratia in principio cum magna voluptate ſpirituali ſoleat animam illuminare: proceſſu vero certaminis

CAP. LXIX.

SOlet principio gratia lumine ſuo in multo ſenſu animam colluſtrare: proceſſu verò certaminis ſæpe [a] myſteria ſua clam in anima diuina contemplanti,operatur, vt nos tunc quidem lætos in veſtigia

diuinarum rerum,quas contemplamur,immittat,velut ex ignorantia ad cognitionem vocatos; in medio verò certaminis cognitionem noſtram ab inani gloriæ cupiditate liberam ſeruet.

Oportet igitur, dolere quidem moderatè, quaſi nos derelictos, quo ſummiſſiores ſimus,ac magis gloriæ Domini ſubiecti:lætari verò opportune ſpe bona exultantes. Vt enim nimius dolor animam in deſperationem, & diffidentiam proiicit; ſic nimia lætitia ad elationem prouocat: de iis loquor qui ſunt adhuc pueri ſenſu, inter illuminationem enim& derelictionem interiecta eſt [b] experientia:inter dolorem verò & lætitiam ſpes, expectans enim(inquit)expectaui Dominum, & intendit mihi: & rurſus, ſecundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

[a] *Clam operatur gratia myſteria ſua in anima, quando anima non ſentit lumen gratiæ in ſenſu mentis ex lætitia quadam ſpirituali, quod quidem fit, vt anima ſit humilis in illa tunc occultatione luminis gratiæ tanquam in myſterio latet hæc humilitas, quam diuina gratia operatur, non ſentiente anima lumen vllum ipſius gratiæ.*

[b] *Expe*

[b] *Experientiam vocat certamen medium, cum nec anima illuminationem gratiæ ſenſu, ac guſtu quodam interiore lætitiæ ſpiritualis ſentit, neque tamen derelicta eſt: ſed eſt in experientia, ideſt, in certamine, quo tentatur, vt patientia huiuſmodi tribulationis probatione per humilitatem operatur, probatio vero, ſicut Apoſtolus ait, ſpem.*

De loquacitate, quomodo animã diſtrahat: & quàm præclara res ſit ſilentium.

Cap. LXX.

SIcut ianua balnei, ſi crebro aperiatur, cito calorem eius extrudit: ſic anima cum multa loqui vult, quamuis valde pulchra ſint omnia, memoriam ſui per vocale oſtium diſtrahit, ac diſturbat. Ex quo fit, vt tempeſtiuis, & opportunis cogitationibus deinceps priuetur: ipſum verò concurſum cogitationum quodammodo tumultuoſe quibuſuis proferat, quia non habeat deinceps Spiritum ſanctum, qui animam eius à [a] viſis extrinſecus oblatis ſeruet, bonum enim, vt pote ab omni tumultu, & imaginatione alienum, verboſitatem fugit: præclara ergo res eſt ſilentium, nihilque aliud, quàm mater ſapientiſſimorum cogitatuum.

[a] *Viſa*

[a] *Viſa extrinſecus oblata, quæ à Græcis phantaſiæ dicuntur, ſunt, quæ imaginamur, id eſt, animo fingimus tanquam pulchra ad vidēdum, aut audiendum, aut alio ſenſu percipiendum: ab huiuſmodi imaginationibus, aliena eſt virtus, quæ de ſe ipſa contenta animum ſpirituali voluptate paſcit; & laudem, ac remunerationem à Deo expectat.*

Quomodo, cum quis ea, quæ mundi ſunt, incipit repudiare, tunc incipiant paſſiones eſſe ei moleſtæ.

Cap. LXXI.

MVltas eſſe perturbationes, quæ principio animam in contemplatione rerum diuinarū verſantem moleſtia afficiunt, ipſe [a] ſermo ſcientiæ nos docet; maximè verò omnium moleſtæ ſunt ira, & maleuolentia: hoc autem animæ non tam propter Dæmones, quam propter progreſſus ſuos accidit: dum enim cum voluntate mundi conſentit, quamuis cernat iura quomodocunque conculcari, neque mouetur, neque perturbatur. Siquidem dum ſuis ducitur cupiditatibus, non habet iuſtitiæ Dei rationem: poſtquam verò cœperit paſſiones ſu-

perare, non patitur iam tum propter contemptum rerum præſentium, tum propter charitatem,vt videat,ne per ſomnium quidem legem Dei violari; quin potius iraſcitur maleficis, quo ad videat contumelioſos in virtutem iuſtitiæ, dignitatem iuſtitiæ pie defendere. Idcirco igitur iniquos quidem odio habet; iuſtos verò diligit, tunc enim oculus [b] animæ prorſus non rapitur errore, cum anima ſuum tegumentum, id eſt, corpus ad multam tenuitatem per continentiam retexit. Sed multo præſtantius eſt,duritiam, & ſtuporem cordis iſtorum deflere, quàm eoſdem odio proſequi: & ſi enim maleuolentia digni ſunt, tamen ratio non vult animam, quæ Dei charitate teneatur, maleuolentia turbari, & impediri, cum in ea anima,quæ odium habet,cognitio [c] non operetur.

[a] *Sermonem ſcientiæ vocat chariſma cognitionis Dei ex charitate. De hoc dono ſupra c. 9. & infra c. 72.*

[b] *Oculus animæ eſt mens, quæ non decipitur à carne, cum eam caſtigat, & ieiunÿs attenuat inſtar araneoli. Reſpexit ad illud ex pſ. 38. tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius, in eandem ſententiam ſupra c. 24.*

[c] *Cogni*

[c] *Cognitio Dei quæ in anima non operatur, nihil aliud eſt, quam fides ſine charitate, quæ vt mortua non operatur: nec animam cum Deo copulat.*

De Chariſmate ſapientiæ, & ſcientiæ: & quare non reperiatur plenè vtraque in ſingulis.

CAP. LXXII.

THeologus, id eſt, rerum diuinarum contemplator, eloquiis Dei delinitus, & inflammatus animo, applicat ſe in illa laxitate ad latitudinẽ opportuna contemplationum ac moderandas aliquantum paſſiones; eloquia enim Domini (ait) eloquia caſta: argentum igne examinatum, purgatum terræ. Qui verò cognitioni deditus eſt, experientia cognitionis ſecundum operationem confirmatus, ſuperior paſſionibus exiſtit. aſſequetur autem Theologus experientiam virtutis cognitionis, ſi ſe ſummiſsè gerat. Et rurſus qui ſtudio cognitionis tenetur, aſſequetur item virtutem contemplationis, ſi eam partem animæ, quæ ad diſcernendum data eſt, habeat non errantem. Non enim cuiuis contingit habere ex toto hæc

hæc duo chariſmata: Idque vt dum vterque admiratur, & laudat, quo alter abundat, humilitas cum zelo iuſtitiæ in ambobus redundet. Idcirco ait Apoſt.[a] alij per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ, ſiue cognitionis ſecundum eundem ſpiritum.

[a] 1. Cor. 12.

De Oratione vocali, & in corde.

Cap. LXXIII.

CVm anima eſt in affluentia[a] ſuorum fructuum naturalium, maiore etiam voce pſalmos canit, magiſque vult orare voce. Cum verò Spiritus Sanctus in ea operatur, tunc cum omni laxamento, ac dulcedine canit, & orat in corde tantum. Sed cum illo priore modo affecta eſt, ſequitur inde, vt videatur ſibi gaudere: cum autem poſteriore, ſequuntur lachrymæ ſpirituales, ac poſtea voluptas quædam animi tacita, & ſilentij amica: memoria enim dum propter temperationem vocis manet feruida; facit, vt quoſdam blandos, & lachrymantes cogitatus cor ferat. Vnde videre ſanè eſt, ſemina orationis cum lachrymis propter ſpẽ metendi gaudium in terra cordis ſpargi.

Cæte

Cæterùm cum multa mœſtitia grauamur, oportet nos paulò grandiore voce pſalmos canere, edentes ſonos animæ lætitia ſpei, donec grauis illa caligo aura concentus diſcutiatur.

[a] *Affluentia fructuum animæ naturalium eſt, cum quis à paſſionibus vacat, & virtutibus non ſpiritualibus, id eſt, ex charitate in Deum, ſed ex ratione, & charitate naturali profectis abundat.*

De ardore ſpirituali animæ, & quid inter charitatem naturalem, & ſpiritualem interſit.

CAP. LXXIV.

CVm anima noſcit ſe ipſam, ex ſe etiam feruorem quendam, & pudorem Deo amicum affert: ſiquidem non confuſa ſolicitudinibus vitæ huius amorem quendam pacis parit, quo Deum pacis quærit: tametſi celeriter ab hoc diſtrahitur, vel ſenſibus prudentibus, & vel etiam natura bonum ſuum propter inopiam cito conſumente. Vnde ſapientes gentilium, quod per virtutem ſe aſſequi exiſtimabant, hoc, vt oportebat,

bat, non habebant: quia ſcilicet eorum mens à perenni, & vera ſapientia non agebatur. Feruor verò, quem Spiritus Sanctus cordi affert, primum quidem totus ad pacem ſpectat, conſtanſque eſt, atque omnes animæ partes ad deſiderium Dei inuitat, & extra cor non excitatur: immò per ipſum ad charitatem quandam immenſam, & gaudium totum hominem exhilarat. Oportet igitur ardorem illum agnoſcere, ad eumque peruenire, charitas namque naturalis index eſt naturæ propter virtutem quodammodo beneualentis, nunquam tamen facere poteſt mentem bonam ad comparandam vacuitatem paſſionum, vt poteſt charitas ſpiritualis.

Quando, & quomodo gratia Spiritus ſancti ſeruet animam liberam nebulis paſſionum.

C a p. LXXV.

SIcut aër iſte nobis circunfuſus, flante Aquilone propter naturam eius tenuē, & ſerenantem, purus permanet: contra verò, flante Auſtro, totus veluti denſatur à natura venti huius nebuloſa, qui ex ſuis regioni

gionibus,ac locis ratione cuiuſdam cognationis nubes per totum orbem inducit. Sic anima, cum afflatu veri, & ſancti ſpiritus cietur, tota extra nebulas Dæmonis poſita eſt:rurſus verò,cum ab ſpiritu erroris vehementer inflatur,tota nubibus peccati obtegitur. Oportet igitur, vt totis viribus propoſitum noſtrum ad viuificam, & purgantem Spiritus ſancti auram ſemper conuertamus:id eſt,ad ſpiritum, quem Propheta Ezechiel venientem ab Aquilone in lumine cognitionis vidit. Vt ea potiſſimum animæ noſtræ pars,quæ in contemplatione verſatur,in ſerenitate perſeueret: vt diuina ſine errore contemplemur, cernentes ea, quæ ſunt luminis, in aëre veri luminis:hoc enim eſt lumen veræ cognitionis.

Quomodo ante Baptiſmum ſpiritus veritatis operetur in anima: & quomodo ſpiritus erroris: quomodo item operentur poſt baptiſmum.

CAP. LXXVI.

NOnnulli exiſtimarunt, gratiam pariter & peccatum,id eſt,ſpiritum veritatis, & ſpi

& ſpiritum erroris in mente eius, qui baptizatus eſt,occultari. Vnde alter(inquiunt) mentem ad virtutes hortatur, & prouocat: alter ad contraria. Ego vero tum ex diuinis ſcripturis, tum ex ipſo ſenſu mentis comprehenſum habeo,ante baptiſmum quidem hortari extrinſecus gratiam ad meliora: ac Satanam in imo cordis dèliteſcere dantem operam,vt omnes vias mentis,quæ ad dexteram tendunt, obſtruat:ex ipſa verò hora, qua regeneramur, Dæmon quidem foris eſt, gratia verò intus. Vnde comperimus, ſicut olim error dominatus eſt in animam, ſic in eam poſt baptiſmum dominari veritatem. Exercet quidem poſtea Satanas vim ſuam in anima,ſicut antea, & ſæpenumero peius, non tamen tanquam adſit vnà cum charitate, abſit: ſed,quòd dulcedinem voluptatum, quæ à ratione alienæ ſunt, tanquam fumum [a] quendam in mentem per liquorem corporis infundat. Hoc autem permiſſu Dei efficitur,vt homo per tempeſtatem, & ignem probationis traiectus, ſic ad fruendum, ſi velit, ſummo bono perueniat: tranſiuimus (inquit) per [b] ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.

[a] *Volup*

[a] *Voluptates corporis comparat cum fumo, qui oculos lædit, & lachrymas elicit, ſic voluptates corporis, menti, quæ eſt oculus animæ, tenebras offundunt: & dolorem pariunt. Vnde Sal. Pro. 10. ſicut fumus oculis nocet, ſic iniquitas vtentibus ea.*

[b] *Ignem interpretatur hic pater voluptatem illam fumantem. Vbi enim eſt fumus, illic eſt ignis: aquam vero interpretatur mollitiam illam quaſi ſenſus corporis titillantem, quam dæmon miſcere ſolet cum voluptate mentis ſpirituali ad decipiendum.*

Quando incipiat gratia Dei declarare bonitatem ſuam animæ.

CAP. LXXVII.

GRatia, vt dixi, ex ipſo puncto temporis, quo baptizamur, in ipſa ima ſede mentis occulitur, præſentiam ſuam ſenſui cælans: poſtquam verò toto quis animo Deum amare cœperit, tunc inexplicabili quadam ratione per ſenſum mentis partem bonorum ſuorum cum anima communicat.

Vnde qui prorſus vult tutè hoc, quod inuenit, tenere, facile capitur deſiderio relin

relinquendi libentiſſimè omnium bonorum vitæ huius poſſeſſiomen, vt agrum nimirum comparet, in quo theſaurum vitæ abditum reperit. Cum enim cũctas quis vitæ huius opes dimiſerit, tunc locum, in quo gratia Dei recondita eſt, adipiſcitur. Secundum enim proportionem progreſſus animæ donum Dei bonitatem ſuam menti patefacit, tametſi permittat Deus Dæmonibus, vt plus tunc turbatum animæ faciant: ſcilicet, vt congruenter eam doceat, rectum à prauo diſcernere: efficiatque quando purgatur, magis ſummiſſam, propter multam verecundiam turpitudinis ex cogitationibus, appulſu Dæmonum excitatis.

Homo quid effectus per peccatum Adæ: & quid per baptiſmum: & quare non poſſint ſimul habitare in homine ſpiritus bonus, & malus.

CAP. LXXVIII.

SVmus ad imeginem Dei, ſecundum motionem animæ ad mentem pertinentem: corpus enim, tanquam domicilium animæ eſt. igitur quia peccato Adæ non ſolum lineæ formæ animæ ſordidatæ ſunt,

ſed

ſed corpus quoque noſtrum ſub interitum cecidit; idcirco ſanctum Dei Verbum carnem aſſumpſit; donauitque nobis, vt pote Deus, aquam ſalutarem per baptiſmum ſuum ad regenerationem: per aquam enim operatione viuifici ſpiritus regeneramur, quo confeſtim anima, & corpore mundamur: ſi modo toto animo affecti, ad Deum accedimus, ſpiritu quidem ſancto in nobis habitante, peccato verò ab eo expulſo: non enim fieri poteſt, cum ſit vna & ſimplex animæ forma, vt duæ ibi perſonæ adſint, vt quorundam opinio fuit: gratia namque Dei per Baptiſmum infinito quodam amore ad lineas formæ, quæ ad imaginem Dei facta eſt, aptata in [b] pignus ſimilitudinis, vbi poteſt eſſe locus Dæmoni; cum nulla ſit luci cum tenebris communitas? Qui igitur in ſacro certamine curſores ſumus, credimus multiformem illum ſerpentem per lauacrum incorruptible ex penetralibus mentis eiici: neque verò mirari debemus, cur poſt baptiſmum turpia cum honeſtis cogitamus: ſanctus enim baptiſmus maculam quidem peccati ex nobis delet, illam verò voluntatem noſtram duplicem non mutat nunc; neque Dæmones, ne, nos impugnent, prohibet, aut ne verbis

bis vtantur ad decipiendum : ſcilicet, vt quòd in illo naturali ſtatu poſiti non cuſtodiuimus, acceptis armis iuſtitiæ, virtute Dei cuſtodiamus.

[a] *Motionem animæ ad mentem pertinentem vocat motionem, qua poteſt anima moueri, vt mens ſecundum rationem, & voluntatem rationalem dominetur in omnes ſenſus, & partes animæ, ac partes etiam corporis, quæ rationi obedire queant ſecundum hanc dominandi poteſtatẽ naturalem, quod Græci patres dicunt* κατὰ τὸ ἀρχικὸν, *eſt homo ad imaginem Dei, qui eſt natura omnium dominus.*

[b] *Lineas animæ ad imaginem Dei factæ vocat virtutes ſanctas, quæ animam faciunt Dei ſimilem, ad quas quia adiuncta eſt gratia Dei, quæ eſt quædam participata ſimilitudo diuinæ naturæ; idcirco pignus efficitur illius diuinæ ſimilitudinis perfectæ beatorum, de qua ait beatus Ioannes: ſcimus, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum, ſicuti eſt. Hanc autem ſimilitudinem beatam ille adipiſcetur, qui ſe hic Deo ſimilem reddit, ſanctificando ſe per ſanctas virtutes, ſicut ille ſanctus eſt: vnde ſtatim ſubiungit Ioannes: & qui habet hanc ſpem, ſanctificat ſe, ſicut ille ſanctus eſt.*

Quomodo in profundo cordis habitet gratia Dei: & quomodo ibi nihil poſſit Dæmon operari.

CAP. LXXIX.

SAtanas, vt dixi, ab anima per ſanctum baptiſmum excluditur: permittitur tamen ei ob eas, quas dixi cauſas, operari in ea per corpus: gratia enim Dei in profundo animæ, ideſt, in ipſa mente habitat. Omnis namque gloria filiæ regis intus, vt ait Propheta, Dæmonibus inaſpectabilis: quocirca deſiderium Dei ex ipſo, quaſi profundo cordis veluti ſcaturire ſentimus, quando Dei feruenter recordamur: mali verò ſpiritus in ſenſus corporis deinceps inſiliunt, ibique deliteſcunt in iis operantes cum eſt carnis [a] opportunitas, qui ſunt adhuc anima puerili. Ad hunc igitur modum mens noſtra ſecundum Apoſtolum ſemper legi ſpiritus condelectatur: ipſi verò ſenſus corporis blanditiis, & illecebris voluptatum capi volunt.

Vnde gratia quidem in iis, qui proceſſus in cognitione faciunt, per ſenſum mentis delectationem gignit, ita vt mirabili eos

eos gaudio exultare faciat. Dæmones verò cum nos rurſus viderint curſum pietatis negligenter currentes, animam per ſenſus corporis captiuam ducunt, violenter illam quidem interfectores illi ad ea, quæ rènuit, prouocantes.

[a] *Opportunitas carnis eſt, cum ſit cura carnis ad deſideria contra Apoſtoli præceptum; ac non potius caſtigatur, & in ſeruitutem redigitur corporalibus exercitationibus, quas idem Apoſt. dicit: tunc enim opportuna ſe præbet ad lapſus: vnde Sal. in Pro. 12. diligens, inquit, diſciplinam, diligit ſenſum, ſcilicet mentis: ideſt, diſcretionem boni, & mali ſecundum lumen veræ cognitionis.*

Quomodo in cordibus fidelium non poßint ſimul inſidere ſpiritus gratiæ, & ſpiritus peccati, vt quidam opinati ſunt.

CAP. LXXX.

QVi aiunt duas perſonas, ſpiritum ſcilicet gratiæ, & ſpiritum peccati in cordibus fidelium ſimul inſidere, ex eo, quòd Euangeliſta dixit, & lumen in tene-

bris lucet, & tenebræ eum non comprehenderunt, opinionem ſuam probare volunt, dicentes, non inquinari diuinum ſplendorem, ſpiritus mali congreſſu; quomodocunque diuinum in anima lumen ad tenebras Dæmonis propius accedat. Ipſis tamen Euangelij verbis à ſanctis ſcripturis diſſentire probantur: quia enim Verbum Dei voluit, vt verum lumen ſuum per carnem ſuam hominibus appareret, incenſo in nobis ob nimiam eius beneuolentiam lumine cognitionis, prudentia verò mundi conſilium Dei non comprehendit: ſiquidem prudentia carnis inimica Dei eſt. Ob hanc cauſam vſus eſt Ioannes huiuſmodi verbo, atque paucis interiectis, ſubiungit Euangeliſta, Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; ideſt, eſt dux viæ oſtendendæ, ac vitam præſtat: in mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt; & mundus eum non cognouit. in propria venit, & ſui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, iis, qui credunt in nomine eius. Ait autem [a] Apoſt. Paulus interpretans illud, non comprehenderunt, non quòd acceperim iam, aut iam perfectus ſim: perſequor

ſequor autem, vt comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu. Itaque non dicit Euangeliſta, non comprehendiſſe Satanam verum lumen; ab initio enim alienus eſt ab eo, ſiquidem non lucet in ipſo; ſed potius homines ipſos, qui audiebant quidem potentias, & mirabilia filij Dei, ſed propter erroris tenebras cordi offuſas, ad lumen cognitionis eius accedere nolebant, meritò verbo illo vituperat.

[a] Philip. c.3.

De duplici genere malorum ſpirituum, partim cum anima, partim cum corpore luctantium; & quomodo vtrique reſiſtendum.

CAP. LXXXI.

DVo eſſe veluti genera malorum ſpirituum, docet nos ſpiritualis cognitio. Alij enim ſunt, tanquam ſubtiliores, alij craſſiores: ſubtiliores igitur animam oppugnant: craſſiores verò quibuſdam ſordidis conſolationibus carnem ducere captiuam ſoliti ſunt. Quamobrem Dæmones, qui cum anima luctantur, & qui cum corpore, ſibi ipſi ſunt aduerſarij, tametſi par vtriſ-

que ſtudium, ac propoſitum nocendi hominibus. Cum ergo non habitat gratia in homine, tunc in profundo cordis inſtar quidem ſerpentis deliteſcunt, non ſinentes omnino animam ad cupiditatem boni aſpicere. Cum verò gratia in mente eſt abdita, tunc tanquam nubes quædam caliginoſæ deinceps per partes cordis in paſſiones peccati diſcurrunt induti in varias formas diſtractionum, vt memoriam mentis diſtrahentes, illam ipſam mentem ab vſu, & familiaritate gratiæ diuellãt. Quando igitur à Dæmonibus, qui animæ ſunt infeſti, ad paſſiones animæ inflammamur, ac potiſſimum quidem ad elationem, quæ eſt omnium malorum parens, ſi interitum corporis cogitamus, inflatos eſſe, & gloriæ cupidos magnopere nos pudet. idem autem facere oportet, cum Dæmones, quibus cum corpore luctatio eſt, eo nos præparant, vt cor noſtrum in turpia deſideria efferueſcat: hæc enim recordatio mortis poteſt omnes varietates malorum ſpirituũ per memoriam Dei fruſtrari: quod ſi dæmones iſti ſubtiliores, qui animas impugnant, nobis de hac cogitatione mortis, vt naturam humanam infinito deſpectui habeamus, ſuadeant, quaſi propter carnem in-

tereun

tereuntem nullius precij, aut honoris ſit: hoc enim facere ſolent, cum quis eos huiuſmodi cogitatione mortalitatis torquere vult: reſtat, vt cœleſtis regni decus, & gloriam cogitemus, acerbitatem, & tenebras iudicij interim non negligentes: vt altero leuitatem cordis noſtri premamus; altero triſtitiam noſtram conſolemur.

Quomodo, quandiu eſt aliquis in gratia Dei, non poteſt Diabolus eſſe in corde eius.

CAP. LXXXII.

DOcuit nos Deus in Euangelio,[a] quemadmodum cum reuerſus Satanas reperit domum ſuam ſcopis mundatam, & vacantem, ideſt reperit cor infrugiferum, tunc accipit ſeptem alios ſpiritus, & ingreditur in eam, latetque intus,[b] efficiens nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Vnde aduertendum eſt, quandiu in nobis eſt Spiritus ſanctus, non poſſe Satanam ingreſſum, in profundo animæ reſidere: immo & Paulus aperte docet nos huius contemplationis intelligentiam; contemplatus enim huius quæſtionis genus, ex ſcien-

tia quidem certandi hunc ſermonem pro-
fert [c]: Condelector(inquit)legi Dei,ſecun-
dum hominem interiorem : video autem
aliam legem in corpore meo repugnantem
legi mentis meæ , & captiuantem me in
lege peccati , quæ eſt in membris meis : ex
perfectione verò illum nihil igitur damna-
tionis in Chriſto Ieſu : lex enim ſpiritus
vitæ liberauit me à lege peccati , & mortis.
dicit præterea in alio loco,vt rurſus doceat
nos , ex corpore oppugnari à Satana animã
Spiritus Sancti participem. [d] State igitur
ſuccincti lumbos veſtros in veritate , & in-
duti loricam iuſtitiæ, calciati pedes in præ-
parationem Euangelij pacis in omnibus
ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis om-
nia tela nequiſſimi ignea extinguere: & ga-
leam ſalutis aſſumite : & gladium ſpiritus,
quod eſt verbum Dei. Aliud eſt, captiuam
duci, aliud luctari : illud ſignificat,per vim
abduci : hoc æquis viribus certari. Vnde
Apoſtolus Diabolum ait in animas Chri-
ſtum in ſe ipſis ferentes , cum igneis telis
inuadere. vt enim qui non poteſt eum,cum
quo certat , prehendere , iaculis omnino
vtitur aduerſus eum , vt poſſit pugnantem
eminus pennis telorum venari: ſic Satanas
quia non poteſt propter præſentiam chari-
tatis

tatis occultari, ſicut prius, in mente luctantium, volitat deinceps ſuper [e] humorem, ac latitat in corpore, vt facilitate eius animam lactet, pelliciat. quocirca oportet moderatè eũ extenuare, ne mens per humorem eius ad illecebras voluptatum labatur. Credendũ enim eſt Apoſtolo, in mente quidem eorum, qui in certamine ſunt, diuinum lumen operari; ex quo fiat, vt legi Dei ſeruiat, eaque delectetur. Caro enim prauis applaudit, ſuaque facilitate admittit ſpiritus: quæ cauſa eſt, vt ad famulandum nequitiæ eorum aliquando trahatur: ex quo maximè apparet, non eſſe mentem commune Dei, & Diaboli domicilium: alioqui quemadmodum illud diceret, mente quidem ſeruio legi Dei; carne verò legi peccati, niſi mens mea cum omni libertate in pugna contra Dæmones ſtaret bonitati gratiæ ſeruiens: corpus verò ſuauem odorem voluptatum à ratione abhorrentium admitteret? quia, vt dixi, ſinuntur mali & fallaces Dæmones in corpore eorum, qui certant, abſcõditi eſſe. [f] Scio enim (inquit) quod non habitat in me, ideſt, in carne mea bonum, in ijs ſcilicet, qui medio quodam certamine peccato reſiſtunt. non enim hoc Apoſtolus de ſe dicit, cum mente quidem pu-

gnam Dæmones committere: carnem verò, vt ad illecebras voluptatum blandis conſolationibus emolliant, ac diſſoluant, eoſdem conari: permittuntur enim iuſto iudicio verſari in profundo corporis etiam in iis, qui robuſtè aduerſus peccatum dimicant: quia ſit ſemper experienda, & periclitanda libertas humanæ voluntatis. At ſi quis queat adhuc viuẽs mori per labores, totus deinceps domus Spiritus S. fit. hic enim priuſquam [g] moriatur, ſurrexit, qualis Paulus, & quicunque perfectè cum peccato certarunt, & certant.

[a] Matth. 12.

[b] 2. Pet. 2.

[c] Rom. c. 7.

[d] Eph. 6.

[e] Rom. 7.

[f] *Super humorem dicit, quia multum confert ad caſtitatem ſiccitas, quæ ex temperantia exiſtit. caro enim humidior facile ad libidinem excitatur, vt Marcus anachoreta ad Licium monachum ſcripſit. vnde iuxta Euangelij parabolam, immundus ſpiritus non requieſcit in locis aridis, & inaquoſis: ideſt, in animis ſiccitate, & temperantia ornatis. hinc apud Oſeam loquens Dominus de anima ſobria: ponam eam, inquit, vt eremum: & loquar ad cor eius.*

g *Is*

8 Is ſcilicet prius quam moriatur, ſurrexit, vt ait Iſaac Syrus, cuius ſenſus omnes interiores omnibus rebus ſub ſenſus exteriores cadentibus contemptis, ad operationẽ ſpiritus excitantur, ad imitationem illius vitæ, quæ futura eſt cum erimus per reſurrectionem facti immortales & toti ſpirituales. hic iam nihil intus videt, audit, guſtat, tangit, odoratur, niſi quæ ad gloriam Dei, & vitam futuri ſæculi pertinent, qui iam in iſta ſua operatione ſpirituali tanquam in myſterio, vt idem Iſaac ait, teſtimonium accipit futuræ reſurrectionis.

Quomodo, & vnde cor malas cogitationes gignat.

Cap. LXXXIII.

COgitationes quidem tum bonas, tum non bonas gignit ex ſe cor: non quidem, quod malas cogitationes naturaliter ferat, ſed quod propter primam illam fallaciam tanquam habitum quendam memoriæ eius, quod non eſt bonum, ſemel ceperit: plurimas verò, eaſdemque malas cogitationes ex amarulentia Dæmonum concipit: vniuerſas verò ex cordibus noſtris pro-

ficiſci ſentimus. Ex quo factum eſt, vt nonnulli exiſtimarent, peccatum eſſe in anima pariter cum gratia: atque idcirco Dominum dixiſſe, quæ ex ore exeunt, ex corde exire, & illa hominem inquinare. Ex corde enim (inquit) exeunt cogitationes malæ. Sed ignorant iſti, quemadmodum mens noſtra, quæ ſenſu quodam ſubtiliſſimo vtitur, illarum cogitationum operationem, quas mali ſpiritus ei ſuggerunt, quaſi per carnem ſibi vendicat, corporis [a] facilitate magis ad hoc, neſcio quomodo, animam per [b] concretionem trahente. Siquidem ſemper anima aſſentationes, & blanditias fallaciæ, immoderatè amat. ob hanc cauſam cogitationes à Dæmonibus ſeminatæ ex corde videntur prodire: eas autem noſtras reuera ipſi facimus, quoties illis delectari volumus, quod quidem cum Dominus reprehenderet, vt ſcriptura ipſa diuina declarat, iis verbis, quæ ſupra c.80. [c] recitauimus vſa eſt. Qui enim cogitationibus, quas improbitas Satanæ ſubiicit animæ, delectatur, earumque memoriam cordi ſuo veluti inſcribit; non eſt dubium, quin eas ipſas ex mente ſua, veluti fructus effundat.

Facilita

[a] *Facilitatem corporis elicit, quia facile labitur ad voluptates, niſi ab ſpiritu roboretur, hæc facilitas corporis infirmitas carnis appellari ſolet.*

[b] *Concretionem vocat illam temperationem ex naturis, ac qualitatibus elementorum in carne concretis, & admixtis, quæ faciunt, vt quæ ſenſibus obiiciuntur, eis iucunda ſint: vt oculis pulchritudo; auribus ſuauitas; guſtui ſapor, &c.*

[c] Ioann. c. 1.

Quomodo non poßint eſſe ſimul in corde hominis gratia Dei, & Diabolus.

Cap. LXXXIV.

AIt Dominus in Euangelio, non poſſe fortem domo ſua eiici, niſi fortior eiiciat, poſtquam eum alligauerit, & diripuerit. Quomodo igitur poterit cum tanto eiectus dedecore, rurſus ingredi, & vnà cum vero verſari Domino domi ſuæ quandiu vult, requieſcenti? nunquam enim rex, cum tyrannum aliquem deuicerit, qui aduerſarius ſuus aliquando fuerit, in regia ſecum adeſſe cogitabit. Quin potius ſtatim iugulabit; aut certè militibus ſuis alligatum tradet,

det,vt diuturnum ſupplicium de eo ſumant, eumque miſerrima morte afficiant.

Vnde accidat,quod ſimul honeſta, & turpia quandoque cogitamus: & quando, ac cur gratia præſentiam ſuam menti cælet.

CAP. LXXXV.

SI quis, quia honeſta ſimul,& turpia cogitamus, Spiritum ſanctum, & Diabolum in mente habitare eo tempore arbitratur, intelligat id accidere, quia nondum guſtauimus, neque vidimus, quam bonus Dominus: primum enim, vt ſuperius dixi, cælat gratia præſentiam ſuam in baptizatis,expectans propoſitum animæ:cùm verò ſe quis ex toto ad Dominum conuerterit, tunc ſenſu quodam inexplicabili declarat ſe adeſſe præſentem in corde:ac rurſus motionem animæ expectat, permittit tamen tela Dæmonis vſque ad profundum ſenſum pertingere,vt feruidiore propoſito, ac ſummiſſo animo affectus Deum quærat. Si ergo incipiat deinceps in obſeruatione mandatorum progredi,ac Dominum Ieſum ſine inter

intermiſſione imploret, tunc ignis ſanctæ gratiæ ſenſus etiam cordis exteriores depaſcit, zizania humanæ terræ plenè exurendo. ex quo fit, vt procul ab illis locis inſidiæ Dæmonis abſcedant, illam partem animæ quæ paſſionibus commouetur, ſenſim ac leniter deinceps ſtimulantes. Cum verò qui certat, virtutes omnes, tanquam nodo connectit, ac maximè omnium virtutem nihil penitus poſſidendi, tunc totam ipſius naturam profundiore quodam ſenſu gratia colluſtrat circumfouens deinceps ad amandum Deum vehementer. Quocirca tunc extra ſenſus corporis ignei dæmonum arcus extinguntur: aura enim Spiritus ſancti, quæ ad flatus pacis cor mouet, tela igniferi Dæmonis in aërem allata extinguit, permittit tamen aliquando Deus malitiæ Dæmonis eum etiam, qui hos progreſſus fecit, relicta tunc mente eius ſine lumine: ne ſcilicet poteſtas voluntatis noſtræ liberæ, vinculo gratiæ ſit prorſus alligata, non ſolum; quia luctando peccatum vincitur, ſed etiam quia debet homo adhuc ad ſpiritualem experientiam proficere: quod enim in eo, qui eruditur, perfectum exiſtimatur, ſi cum diuitiis erudientis Dei comparetur, imperfectum eſt in magnificentia charitatis, quam-

uis,

uis proceſſu laborum totam quis [a] ſcalam oſtenſam Iacob poſſit aſcendere.

[a] *Significabat in ænigmate ſcala oſtenſa Iacob Gen. c.18. progreſſus animæ, quos vocat Dauid pſal.83. aſcenſiones in corde, quibus itur de virtute in virtutem, vt ibidem ait, donec videatur Deus Deorum in Sion.*

Rurſus quomodo gratia Dei non poſſit Diabolo cohabitare in mente hominis, & de duplici deceſſione gratiæ Dei.

CAP. LXXXVI.

DOminus eſt, qui ait, Satanam veluti fulgur è cœlo cecidiſſe, vt in Angelorum domicilium deformis ille non aſpiciat.

Quomodo ergo, qui vel communi bonorum miniſtrorum non eſt habitus dignus, vnà cum Deo in mente hominis habitare poteſt? At dicent, fieri hoc ſecundum deceſſionem. Sed nihil amplius proficiunt: decedere enim Deum ad erudiendum, non priuat animam diuino lumine. Spe enim gratia,

gratia, vt iam dixi, præſentiam ſolum ſuam menti cælat, vt acerbitate, & moleſtia Dæmonum animam veluti impellat, vt cum omni metu, ac magna ſummiſſione auxilium Dei quærat, malitiam inimici ſui paulatim agnoſcens, quemadmodum ſi mater puerulum ſuum lactentem, & leges ſugendi detrectantem, pauliſper ab vlnis ſuis repelleret, vt perterritus à quibuſdam deformibus hominibus circumſtantibus, aut beſtiis qualibuſcumque ad ſinus matris cum magno timore, & lachrymis reuertatur. Illa verò deceſſio gratiæ, quæ per auerſionem Dei fit, animam, quæ Deum habere non vult, Dæmonibus velut vinctam tradit. At nos non ſumus filij ſubtractionis; auertat Deus. Sed credimus eſſe nos[a] filios gratiæ Dei legitimos; quia paruis eius deceſſionibus, & crebris conſolationibus tanquam lacte alimur,[b] Vt per bonitatem eius in virum perfectum, & menſuram ætatis plenitudinis Chriſti euadamus.

[a] Heb. c. 10.
[b] Eph. c. 4.

Decedere

Decedere gratiam Dei ad eruditionem, quid boni afferat homini, & rurſus quid mali decedere ſecundum auerſionem.

CAP. LXXXVII.

Deceſſio gratiæ ad erudiendum, affert quidem animæ multum doloris, ac ſummiſſionis & deſperationem moderatam; vt ea pars animæ, quæ ſtudio gloriæ, & admirationis capitur, decéter ſe ſummittat: continuò tamen affert cordi timorem Dei, & lachrymas confeſſionis, ac vehemens deſiderium optimi ſilentij. Deceſſio verò per auerſionem Dei facta animam repleri ſinit deſperatione ſimul, & diffidentia, atque ira, & elatione. Quare oportet, cum vtramque deceſſionem experientia didicerimus, vt vtriuſque earum modus requirit, ad Deum accedere: in altera quidem gratias cum [a] defenſione agere debemus, quod priuatione conſolationis intemperantiam voluntatis noſtræ caſtigarit: vt nos tanquam bonus pater virtutis, & vitij differentiam doceret: in hac verò perpetuam peccatorum confeſſionem, & omni tempo

tempore lachrymas, ac maiorem ſeceſſionem adhibere oportet, vt ſic Deum acceſſione laborum ad reſpicienda, ſicut antea, corda noſtra flectere poſſimus. Aduertendum tamen eſt, quod cum ipſe Satanas per ſe pugnam cum anima committit; in deceſſione, inquam, gratiæ, quæ fit ad erudiendum, ſubducit quidem ſe ipſa, vt dixi, gratia; quodam tamen ignoto, & occulto auxilio animam adiuuat, vt inimicis eius oſtendat animæ eſſe victoriam.

[a] *Gratias agere Deo cum defenſione, eſt in priuatione conſolationis gratias agentem non queri de Deo, ſed potius cauſam eius defendere, eumque excuſare, quod conſolatione priuet, quandoquidem ad vtilitatem hoc faciat: huiuſmodi eſt illa defenſio, ſiue excuſatio, quam Apoſtolus vocat apologiam, ſicut hic pater, quam inter fructus pœnitentiæ Corinthiorum numerat: 2. Corinth. cap. 7.*

Quomodo

Quomodo Spiritus Sanctus gratiam ſuam operetur in incboantibus vitam ſpiritualem, & qui ſint, qui ſpiritualia tantum cogitant.

CAP. LXXXVIII.

QVemadmodum cum quis hyberno tempore alicubi ſub aperto cœlo mane ſe totum ad Orientem vertit, priores quidem partes omnes corporis à ſole caleſcunt, poſteriores verò omnes ſunt expertes caloris, quia non eſt ſol ſupra caput eius: ſic euenit iis, qui ſunt in initio ſpiritualis operationis: ſcilicet cor eorum teporem diuinæ gratiæ ex parte admittit: Vnde fructus tunc ſpiritualium cogitationũ incipit mens effundere; partes verò cordis patentes, ſecundum carnem ſapiunt. Quod nondum intimo ſenſu omnia cordis membra lumine ſanctæ gratiæ illuſtrentur: quod quidem nonnulli, cum non intelligerent, duas perſonas tanquam ſibi inter ſe aduerſarias in mente certantium eſſe cogitauerunt: ſic igitur accidit, vt anima honeſta, & non honeſta eodem puncto temporis cogitet, ſicut homo, cuius exemplum ſupra poſuimus,

ſuimus, eodem temporis ſpacio friget, & tepeſcit: ex quo enim mens noſtra in duplicem cognitionem delapſa eſt, neceſſe habet, vt eodem momento quamuis nolens honeſta & turpia cogitata ferat, ij præſertim, [a] qui ad ſubtilitatem diſcernendi veniunt. Semper enim vt mens properat aliquid honeſti conſiderare, continuò ſubit recordatio mali, quòd ſit memoria mentis noſtræ propter peccatum Adæ non obedientis in duplicem quãdam diuiſa cogitationem. Si igitur mandata Dei zelo perficere incipiamus, deinceps gratia Dei omnes ſenſus noſtros in ſenſu quodam profundo illuminans cogitatus quidem noſtros veluti comburit: cor verò in pace quadam amicitiæ firmę, ac conſtantis dulcedine perfundit: facitque vt ſpiritualia, & non iam, quæ ſecundum carnem ſunt, mente agitemus. Hoc verò iis frequentiſſimè contingit, qui ad perfectionem proximè accedunt: qui memoriam Dei perpetuam in corde habent.

a *Cum ad ſubtilitatem diſcernendi veniunt, vt ſi velint verbi gratia ſubtiliter diſcernere ſpecies caſtitatis, in quo conſiſtat perfecta caſtitas: quid differat caſtitas virginis à caſtitate eius,*

eius, quæ virum habet, ſtatim occurrunt memoriæ ſpecies impudicitiæ.

Quomodo faciat Dei gratia, vt imago Dei ſplendeat in nobis: quando item faciat, ac quomodo, vt ſit in nobis ſimilitudo Dei.

CAP. LXXXIX.

DVo nobis bona per baptiſmum regenerationis ſancta gratia comparat, quorum alterum alteri infinito interuallo antecellit: ſed illud quidem ſtatim largitur; renouat enim nos in ipſa aqua, & cunctas animæ lineas, id eſt, quod eſt ad imaginem Dei, omnibus rugis peccati noſtri detractis ſplendeſcere facit: hoc verò, id eſt quod eſt ad ſimilitudinem Dei, non ſtatim largitur; ſed expectat potius, vt illud, nobis adiutoribus, operetur: cum igitur cœperit mens multo ſenſu ſuauitatem Dei guſtare, ſcire nos oportet, tunc gratiam incipere veluti depingere in imagine ſimilitudinem. Vt enim pictores primum quidem vno colore figuram hominis depingunt, poſtea verò colorem colori paulatim imponentes ſpeciem

ciem ſimilis picturæ vſque ad capillum ſaluam retinent:ſic gratia Dei primò quidem quod erat ad imaginem Dei factum, in eum ſtatum, qui prius erat, cùm factus eſt homo, per baptiſmum, concinnat, & aptat: cum autem videt nos toto animo pulchritudinem ſimilitudinis concupiſcere, ſtareque in ſua officina nudos, ac nullius admiratione rei captos, tunc virtutem virtuti addens, [a] inſtar florum, ſpeciemque animæ à claritate in claritatem transferens formam ſimilitudinis Dei ei adhibet: ita vt ſenſus quidem declaret, formari in nobis illud quod eſt ad ſimilitudinem; perfectionem verò ſimilitudinis ex illuminatione cognoſcemus.mens nãque proficiendo menſura quadam & rhythmitica temperatione arcana, per [b] ſenſum virtutes vniuerſas recipit: ſpiritualem verò charitatem nemo comparare poteſt, niſi ab Spiritu ſancto pleniſſimè illuminetur: niſi enim mens ſimilitudinemDei per diuinum lumen perfectè recipiat,cæteras ferè virtutes habere quidem poteſt; perfectæ verò charitatis adhuc expers remanet. Siquidem cum ſimilitudinem virtutis Dei accipit, quatenus homo fieri poteſt ſimilis Deo, tunc fert ſimilitudinem diuinæ charitatis.

Vt

Vt enim in iis tabulis, quæ ad ſimilitudinem aliorum pictæ ſunt, totum illud floridum colorum, qui ſunt additi imagini, ſimilitudinem picturæ per omnia ſeruat, & retinet vſque ad imitationem etiam ſubridentis: ſic in iis, quos diuina gratia ad ſimilitudinem Dei depingit, illuminatio charitatis addita declarat eum, qui ad imaginem Dei factus eſt, eſſe ex omni parte ſimilitudine Dei decoratum: non enim poteſt alia virtus vacuitatem paſſionum ipſi animæ acquirere, niſi ſola charitas: plenitudo namque legis dilectio eſt. Quamobrem renouatur quidem homo noſter interior de die in diem in guſtu charitatis: impletur verò, cum hæc perficitur.

[a] 2. Cor. c. 3.

[b] *Per ſenſum recipit mens vniuerſas virtutes, quia, vt Iſaac Syrus in tractatione de triplici gradu cognitionis ait, in rebus, quæ ſenſu percipiuntur, & in moderatione ſenſuum corporis mens operante Spiritus ſancti gratia opus ſuum perficit, huiuſmodi virtutibus per ſenſum receptis, quas idem Iſaac* ἐξωτέρας τάξεως *vocat, ideſt, exterioris ordinis, efficitur homo iuſtus aſpectu, & auditu, vt de ſancto Lot beatus Petrus ait, ſimiliter iuſtus guſtu, odoratu, tactu, manibus, pedibus, lingua & reliquo vſu partiū corporis, & cæterarum*

cæterarum rerum quæ ſub ſenſum cadunt per has virtutes proficiendo aſenditur ad alias excellentiores virtutes ſpiritus, quæ ſunt perfectorum, quos apoſt. ait habere ſenſus ſcilicet interiores exercitatos ad diſcretionem boni, & mali. Viſum quidem, vt Origenes homilia 2. in Cant. Cant. locum Pauli interpretatus eſt, in vidēda gloria Dei, auditum audiendo verbo vitæ, & ſalutis; tactum palpando de verbo vitæ, & nihil vltra materiale, & caducum; guſtatum in bono Dei verbo, & carne eius & ſanguine; odoratum odore virtum ſpiritualium.

De experientia diuinæ dulcedinis in initio proficiendi ſpiritualiter, & quibus contingat perfectio charitatis in hac vita, & perfectus guſtus eius.

CAPVT XC.

IGitur Spiritus Sanctus initio progreſſus ſpiritualis, ſi virtutem Dei feruide amamus, annuit animæ, vt dulcedinem diuinam in omni ſenſu, & plenitudine ſentiat, quo poſſit mens ſanctorum laborum præmium perfectum notitia exacta cognoſcere: huius

verò viuifici muneris magnificentiam, & amplitudinem diu deinceps nobis cælat, vt quamuis cæteras omnes virtutes operemur, nihil prorſus nos eſſe exiſtimemus, quia nondum ſanctamcharitatem tanquam habitu confirmatam habeamus: ſic igitur ſpiritus odij dæmon plus tunc moleſtiæ animis pugilum ſpiritualium exhibet, ita vt eos, qui inter ſe amant, ad odium traducat: & vſque ad oſculum mortiferum odij actum deferat. Ex quo fit, vt plus anima doleat, quod cum charitatem ſpiritualem alioqui in memoria ferat, non tamen poſſit in ſenſu eam adipiſci propter vacationem perfectiſſimorum laborum.

Oportet igitur eam omni vi adhibita eatenus exercere, vt ad eiuſdem guſtum in toto ſenſu, ac plenitudine perueniamus: eius enim perfectionem nemo mortalium aſſequi poteſt præter ſanctos eos, qui vſque ad martyrium, & perfectam confeſſionem prouecti ſunt. Qui enim hoc adeptus eſt, totus iam mutatur, ita vt neque cibum facile appetat.

Quid enim eorum, quæ in mundo ſunt, expetat, qui diuina charitate nutritur, & alitur? idcirco ſapientiſſimus Paulus, amplum illud ſcientiæ receptaculum, prædicans

cans nobis è ſua plenitudine, iuſtorum futuras delicias, ſic ait, non eſt regnum Dei eſca & potus: ſed iuſtitia & pax, & gaudium in Spiritu ſancto, qui ſunt perfectæ charitatis fructus. Quare poſſunt quidem guſtare eam hic frequenter, qui ad perfectionem proficiunt, ac progrediuntur; perfectè verò guſtare non poſſunt, niſi prius quod mortale eſt, abſorbeatur à vita.

De quodam, qui tenebatur ardenti deſiderio cognoſcendi perſpicuè charitatem Dei: & de iis, qui eiuſmodi charitatem guſtu cordis experti ſunt.

CAP. XCI.

NArrauit mihi quidam ex ijs, qui voluntate quadam inſatiabili Dominũ diligunt, quemadmodum, cum teneretur deſiderio charitatem Dei planè, & perſpicuè cognoſcendi, hoc ille ſummè bonus in multo ſenſu, & plenitudine largitus eſſet, ſeque eatenus eiuſmodi operationem ſenſiſſe aiebat, vt anima cum inexplicabili tunc lætitia, & charitate deſideraret ex corpore excedere, & ad Dominum profi-

ciſci, ac genus vitæ huius caducæ veluti ignorare. Qui igitur hanc charitatem expertus eſt, tameſi infinitis contumeliis & incommodis ab aliquo afficiatur (accidit enim interdum, vt qui exercendus ſit laboribus, huiuſmodi malis implicetur) tamen non iraſcitur ei: ſed potius cum eo, qui contumelias & damna intulit, manet copulatus: in eos verò ſolum incitatur, & incenditur, qui in pauperes inuadunt: aut in Deum, ſicut ait ſcriptura, iniquitatem loquuntur, aut alio quopiam modo non bene viuunt. Qui enim plus iam Deum, quam ſe diligit, immo non amplius ſe diligit, ſed Deum ſolum, non iam honorem ſuum ſectatur, ſed magis iuſtitiam eius honorari cupit, à quo ipſe honore immortali honoratus eſt: idque non parua quadam voluntate expetit: quin potius habet deinceps huiuſmodi affectum animi tamquã habitu ſuſceptũ propter multam experientiam charitatis Dei. Sciendum prætereа eſt, eum, qui in huiuſmodi charitatẽ adeo actus eſt, dum illa operatio charitatis durat, ſupra fidem conſiſtere, tanquam tenentem iam in ſenſu cordis per multam charitatem eum, quem fide honorabat. Quod quidẽ apertè nobis Apoſtolus Paulus ſignificat,
cum

cum ait, nunc autem manent fides, ſpes, charitas: maior autem horum eſt charitas. Vt enim dixi, qui Deum copioſa charitate amplectitur, multo maior eſt tunc ſua fide, totus in deſiderio Dei poſitus.

De proprietate mediocris operationis ex cognitione ſancta, quomodo afferat nobis magnum dolorem, ſi quando aliquem offenderimus.

CAP. XCII.

MEdiocritas [a] operationis, quam cognitio ſancta operatur, non parum dolere nos facit, cum aliquem irritati, inimicum nobis contumelijs noſtris fecimus. Ex quo fit, vt nunquam remittat conſcientiæ noſtræ morſus, donec in priſtinam gratiam contumelia offenſum multa excuſatione reconciliauerimus. Sed ille eſt acerbiſſimus conſcientiæ morſus, cum aliquis ex vitæ huius hominibus immerito nobis iraſcitur, valde enim nos ſolicito & exercito animo eſſe facit, quod cuiquam ex numero eorum, qui de hoc ſeculo loquuntur, offenſionem attulerimus. Vnde vacat tunc

à contemplatione mens:quia [b] ſermo ſcientiæ, cum totus ſit charitatis,non finit agitationem mentis ad concipiendas contemplationes diffundi, ac dilatari, niſi prius eum nobis reconciliemus, qui temerè nobis iratus eſt: quod ſi noluerit ille,aut rurſus procul à noſtris locis vbi verſamur, abeſt, de reliquo neceſſitas vrget, vt formam vultus eius in quadam animæ non contracta fuſione ad noſtrum affectum adiungentes, ſic in profundo cordis legem per charitatem impleamus, oportet enim (inquit) facies eorum, qui intempeſtiue iraſcuntur, ſedata cogitatione, in animo ſuo cernere eos, qui cognitionem Dei habere volunt,quod quidem cum actum erit, non ſolum in theologia, ideſt, in diuinarum rerum tractatione, ſine errore mens verſabitur; ſed ad charitatem Dei cum magna fiducia aſcendet, veluti ex ſecundo gradu ad primum ſine impedimento feſtinans.

[a] *Mediocris, ſiue media operatio, quam ſancta cognitio Dei & mandatorum eius, quæ animam cum Deo copulat, operatur, eſt, cum mens nec illuminationem gratiæ guſtu ſpiritualis lætitiæ ſentit, neque tamen derelicta eſt, ſed*

eſt in

eſt in medio experientiæ; vt ſupra c. 69. deſcribitur.

[b] *Sermonem ſcientiæ appellat chariſma cognitionis Dei, quod actu copulat animam cum Deo, de quo ſupra c. 9.*

Quare via virtutis incipientibus appareat aſpera.

Cap. XCIII.

Via virtutis iis quidem, qui veritatem amare incipiunt, aſpera & moleſta apparet: non quia talis ſit, ſed quia natura humana ſtatim ab ipſo ortu in laxitate voluptatum verſatur: ijs verò, qui medium eius tranſire poſſunt, tota lenis & expedita oſtenditur: mali enim mores, honeſtis moribus vſu virtutis facti obedientes, intereunt vnà cum memoria voluptatum à ratione abhorrentium; ex quo fit, vt deinceps anima omnes virtutũ vias libenter ambulet: idcirco Dominus cum nos in viam ſalutis introducit, ait, anguſta & arcta eſt via, quæ ducit ad regnũ, & pauci ſunt, qui ea ingrediuntur. Eis verò, qui multo ſtudio ſancta eius mandata capeſſere volunt, ſic ait, iugum enim meũ

ſuaue eſt, & onus meum leue. Oportet igitur principio certationis violenta quadam voluntate ſancta Dei mandata perficere: vt cum Dominus propoſitum noſtrum, & laborem, ac voluntatem viderit voluntati ſuæ glorioſæ libentiſſime deſeruire, gratiam ſuam mittat, (à Domino enim paratur tunc voluntas) vt magna cum lætitia nullum tempus intermittentes operemur bonum: tunc reuera ſentiemus Deum eſſe, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.

Quomodo opus ſit per labores, molliri cor ad imprimendum in eo ſigillum ſimilitudinis Dei ex virtutibus eius.

CAP. XCIV.

SIcut in cera, niſi multum tepefacta, & mollita ſit, non poteſt ſigillum imprimi, ſic nec in homine ſigillum virtutis Dei imprimi poteſt, niſi ex laboribus, & infirmitatibus probetur. Idcirco Dominus beato

beato Paulo dixit,[a] ſufficit tibi gratia mea; virtus enim mea in infirmitate perficitur. Apoſtolus verò ita gloriatur, inquiens, libentiſſimè igitur magis gloriabor in infirmitatibus meis, vt habitet in me virtus Chriſti.immò & in Prouerbijs ſcriptum eſt, quem diligit Dominus corripit, caſtigat autem omnem filium, quem recipit: Atqui infirmitates vocat Apoſtolus impugnationes inimicorum verbi Dei, quæ tunc & ſibi, & ſanctis omnibus crebro accidebant, ne, ſicut idem Apoſtolus ait, excellentia reuelationum extollerentur: ſed potius per ſummiſſionem in forma perfectionis perſeuerarent, diuinum munus per frequentes contemptus ſancte cuſtodientes, nos verò nunc prauas cogitationes, & corporum ægritudines infirmitates appellamus. Illis enim temporibus, quia corpora ſanctorum qui cum peccato pugnabant, mortiferis verberibus, & alijs varijs tormentis tradebantur, idcirco paſſionibus, quæ ex peccato profectæ in naturam humanam ingreſſæ ſunt, multo erant ſuperiora: nunc verò quia eccleſiæ multam per Dominum pacem, & tranquillitatem habent, opus eſt eorum, qui certant, corpus quidem frequentium morborum, ani-

mas verò malarum cogitationum periclitatione probari; præſertim in quibus cognitio [a] in omni ſenſu, & plenitudine operatur. Vt extra omnem inanem gloriam & extra illud [b] in ſublime tolli poſiti [c] ſigillum, vt dixi, diuinæ pulchritudinis in cordibus ſuis per multam ſummiſſionem capere poſſint: ſicut ait ſanctus ille propheta: ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Oportet igitur cum gratiarum actione voluntatem Domini ſuſtinere, tunc enim iſta ægritudinum aſſiduitas, & cum dæmoniacis cogitationibus pugna, vice ſecundi martyrij habebitur. Qui enim illis temporibus per impios illos magiſtratus & poteſtates ſanctis martyribus dicebat, negate Chriſtum, concupiſcite vitæ huius glorias, & honores; nunc etiam præſto eſt ad dicendum ſemper eadem per ſe ipſum ſeruis Dei. Qui tunc cruciabat corpora iuſtorum, & magiſtros honoris ſummis cõtumelijs per miniſtros voluntatis, & conſilij diabolici afficiebat, idem nunc confeſſoribus pietatis, varias paſſiones cum multis contumelijs, & deſpicationibus infert, ac tunc quidem potiſſimum, cum afflictis pauperibus totis illi viribus propter gloriã Domini opem ferunt: idcirco oportet, vt teſti-

[d] teſtimonium conſcientiæ noſtræ in conſpectu Dei tutè, & toleranter operemur: expectans (inquit) expectaui Dominum,& intendit mihi.

[a] *Tunc cognitio ſancta operatur in omni ſenſu,& plenitudine, quando per operationem omnis virtutis ſancta præbet menti ſenſum Dei,qui ſenſus eſt quidam guſtus mentis perfectus, quo ea quæ Dei ſunt, ab iis, quæ non ſunt,per experientiam ipſius operationis perfectè diſcernit: & facit, vt ſicut ait beatus Ioannes: ſuadeamus corda noſtra coram Deo:huiuſmodi enim perſuaſionem cordis noſtri coram Deo ſignificat,vt arbitror,*πληροφορία *iſta,quam hic pater dicit: ego plenitudinem interpretari ſoleo, interpretem veterem noui teſtamenti ſecutus.*

[b] *In ſublime tolli vitium eſt humilitati contrarium, quod Dominus in Euang. Luc. c.* 12. *declinare præcipit, & Paul.cum ait, Rom.* 12. *non alta ſapientes, humilibus conſentientes, eſt autem in ſublime tolli, vt Baſ. in comm. Eſ.c.*2. *interpretatur,vana cogitatione tolli in excelſum cogitando opes,honores, dominatum,& alia huiuſmodi, quibus, inquit, minatur Dominus, inquiens, dies Domini in omnem ſuperbum,& ſublimem. Differt autem,inquit,ſublimis à ſuperbo,quod ille apud ſe eſt ſublimis;ſuperbus verò in*

alium ſe effert. Hoc quoque vitium à ſe deprecatur Eccl.2.23. inquiens. Extollentiam oculorum ne dederis mihi: & omnem cupiditatem auerte à me oculorum. μετεωρισμὸν, *id eſt extollentiam oculorum vocauit illud, ferri cogitatione in cupiditatem rerum vitæ huius ſublimium, oculos enim adiicere ſolemus iis, quæ concupiſcimus.*

• *Sigillum diuinæ pulchritudinis vocat perfectam participationem diuinæ ſimilitudinis in hac vita, qualis fit in baptiſmo: ad quam poſt baptiſmum non niſi qui tales ſunt, quales hic pater deſcribit hic, venire poſſunt, horum enim vita eſt laborioſus quidam baptiſmus, vt ſancti patres vocarunt. Syn. Trid. Seſſ.14.c.2. de huiuſmodi ſigillo diuinæ pulchritudinis, quod in baptiſmo imprimitur, interpretatus quoque eſt verſiculum prophetæ, ſignatum eſt, &c. Dionyſius Areopag. in Eccleſ. Hier.c.2. quem hic pater ſecutus eſt.*

[d] *Teſtimonium, quod Græce dicitur* μαρτύριον, *vocat tolerantiam tribulationum cum ſimplicitate, & ſynceritate, hoc eſt, ſine indignatione, & aſtutia, quæ tolerantia ab vnoquoque qui fidem confitetur, requiritur, vt per eam teſtetur, ſe in Domino confidere, qui eruit ex tribulationibus, qui etiam ſuſcitat mortuos: ſicut à martyre requiritur effuſio ſanguinis, cum tempus eſt teſtandi*

di veritatẽ fidei: ſic accepit Ap. 2. Co. c. 1. de tribulationibus enim ſuis, & de earũ cum ſimplicitate, & ſynceritate tolerantia loquebatur, cum dixit, hæc eſt gloria noſtra teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Sic quoque interpretatus eſt Heſychius Hieroſolym. in ſententiis, quas γνώμας appellauit, exerce, *inquit,* tolerantiam, quam cognouimus exercuiſſe martyres. Siquidem huiuſmodi conſcientiæ *μαρτύριον, id eſt teſtimonium,* à nobis requiritur. *De huiuſmodi ergo teſtimonio conſcientiæ in tolerantia ſimplici, & ſyncera tribulationum docuit Apoſt. exemplo ſuo gloriari in Domino, & huiuſmodi teſtimonium, vt habeamus conſcientiæ noſtræ, hortatur hic pater ſenſum Pauli ſecutus. de conſcientia vero ipſa quamuis nos non accuſet, docuit Apoſt. non gloriari, cum dixit, nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Idem docuit beatus Ioann. non gloriari de corde, quamuis non reprehendat nos, cum ait, maior eſt Deus corde noſtro & nouit omnia.*

De

De duplici humilitate, vna mediocrium; altera perfectorum: & quomodo à priore ad ſecundam perueniendum ſit.

Cap. XCV.

RES eſt difficilis ad comparandum humilitas: quò enim maior eſt, eo eſt vſus eius laborioſior: duobus verò modis ab iis comparatur, qui ſunt cognitionis ſanctæ participes. Cum enim qui in ſtudio pietatis certat, in[a] medio ſpiritualis experiẽtiæ eſt, tunc aut propter imbecillitatem corporis, aut propter eos, qui virtutis ſtudioſis ſummè maleuoli ſunt, aut propter prauas cogitationes modeſtius ac ſummiſſius quodammodo de ſe ſentit. Cum verò mens à ſancta gratia in multo ſenſu & plenitudine illuſtratur, tunc anima veluti naturalem habet humilitatem: facta enim plenior, & quaſi pinguior per diuinam gratiam, non poteſt amplius tumore cupiditatis gloriæ efferri, quamuis perpetuo mandata Dei perficiat: quin potius inferiorem ſe omnibus ducit propter ſummiſſionis ſuæ, & diuinæ mode

modeſtiæ communionem, eſt autem illa quidem humilitas vt plurimum in dolore, & mœſtitia: Hæc verò in lætitia cum pudore quodam prudentiſſimo. Quocirca illa quidem iis,qui in medio certamine ſunt, aduenit: hæc vero iis mittitur, qui perfectioni appropinquant; ob hanc cauſam illi quidem ſæpenumero ſecundæ res huius vitæ exprobrant: altera verò tametſi quis omnia regna mundi ei afferat,neque ſtupet, neque admiratur, neque prorſus vehementia iacula peccati ſentit. Tota namque ſpiritualis facta,honores, & glorias ad corpus pertinentes neſcit.Opus igitur omnino eſt, vt qui ſtudium certandi ſuſcipit, cum per illam tranſierit, ad hanc veniat: niſi enim gratia doloribus ad erudiendum illatis,non cogendo, ſed periclitatione probando noſtram liberam voluntatem per illam priorem præmolliat, nunquam nobiſcum amplitudinem huius communicabit.

[a] *Media ſpiritualis experientia eſt,certamen medium inter illuminationem gratiæ, & derelictionem,vt ex cap.69.intelligi poteſt:ideſt, cum mens nec illuminationem gratiæ ſentit, neque tamen derelicta eſt, ſed eſt in experientia, ideſt, in certamine, quo tentatur, vt patientia eius,*

eius,ſicut Apoſt.ait,probationem operetur : probatio vero ſpem.

Quæ obſeruent Dæmones in religioſis ad oppugnandum eos.
Cap. XCVI.

QVi voluptates vitæ huius amant, à cogitationibus ad peccata delabũtur: dum enim iudicio inconſiderato feruntur, fere omnia, quæ perturbata mente agitant, tum in ſermones lege ſolutos,tum in malefacta conferre cupiunt. Qui vero aggrediuntur monaſticam vitam capeſſere, hi à peccatis ad prauas cogitationes,aut ad mala quædam verba,& noxia deueniunt: hos enim ſi aut libenter conuitium facere, aut de otioſis rebus, & intempeſtiuis colloqui, aut ſine decentia ridere, aut immoderatè iraſci,aut vanam, & inanem gloriam concupiſcere Dæmones viderint, tunc vna mente,& propoſito ſe aduerſus eos armant. Ex cupiditate enim gloriæ in primis occaſionem malitiæ ſuæ arripientes, & per illam, tanquam per feneſtram quandam obſcuram ingreſſi, animas diripiunt. Oportet igitur qui volunt cum multis virtutibus vitam degere, eos neque gloriam appetere,

neque

neque cum multis congredi, neque crebro prodire, nec vllis conuitiari, quamuis conuitiis digni ſint, neque multum loqui, quamuis poſſint omnia pulchre dicere: multus namque ſermo mentem immoderatè diſtrahens, non ſolum otioſam in ſpirituali exercitatione efficit, ſed etiam Dæmoni acediæ eam prodit: qui eandem rurſus immoderate relaxans, ac diſſoluens, Dæmonibus iracundiæ, & doloris præſidibus tradit. Quare opus eſt habere animum occupatum in obſeruatione ſanctorum mandatorum, & in profunda memoria Ieſu, Domini gloriæ. Qui enim (inquit) cuſtodit mandatum, non cognoſcet verbum malum, id eſt, ad prauas cogitationes aut ad prauos ſermones non delabetur.

Quomodo recordatione Domini Ieſu ſit cor purgandum: & quomodo aſſequi poßimus, vt ſemper oremus.
CAP. XCVII.

CVm cor feruenti quodam dolore ictus telorum, qui à Dæmonibus fiunt, excipit, ita vt videatur ſibi, qui oppugnatur, ferre ipſa iacula cum labore, odit anima paſſiones, vt quæ purgari incipiat: niſi enim de

de peccandi impudentia vehementer doleat,nunquã poterit bonitate virtutis affatim lætari. Qui igitur vult cor ſuum purgare,ſemper illud recordatione Domini Ieſu inflammet,in eo ſolum occupatus,&hoc tantum ſine intermiſſione agens:non enim oportet quandoque quidẽ orare,quãdoque verò nõ eos qui volunt tabẽ ſuam abiicere; ſed potius dare ſemper operam orationi in cuſtodia mẽtis,tametſi extra oratoriũ ſint. Vt enim cũ quis vult aurũ purgare, ſi pauliſper ignẽ in fornace ceſſare ſinat,facit, vt rurſus materia auri,quæ purgatur,dureſcat: ſic qui aliquando memor Dei eſt, aliquãdo non eſt, quod is videtur per orationem comparare, hoc perdit otio. Eſt autem eius qui ſtudio virtutis tenetur, proprium, id quod eſt in corde terrenum, recordatione Dei conſumere. Vt anima conſumpto ad hunc modum paulatim vitio ab igne huius bonę recordationis,ad ſplendorem ſibi naturalem cum maiore gloria perfectè redeat.

Quid ſit, vacuum eſſe paſſionibus in hac vita,& de armatura ſpirituali.
Cap. XCVIII.

VAcuum eſſe paſſionibus, non eſt non impugnari à Dæmonibus, alioqui opor

oporteret nos, ſicut Apoſtolus ait, exiſſe ex hoc mundo, ſed illud potius, ab illis impugnatum, non expugnari: in bellatores enim ferro armatos, iaciunt hoſtes ſagittas; audiuntque ipſi, iactus telorum: immo omnia fere tela in ſe emiſſa cernunt, non tamen feriuntur propter armorum, quibus induti ſunt, duritiam. Verùm illi quidem ferro protecti, & cuſtoditi expugnari nequeunt in pugna: nos verò armatura ſancti luminis, & galea ſalutis per omnia opera bona armati, acies Dæmonum tenebris circumfuſas perrumpemus: Non enim puritatem affert ſolum, prauas actiones non amplius ſuſcipere, ſed ſtudio etiam recte factorum maleficia fortiter repudiare.

De duobus Dæmonibus poſt vniuerſas fere paßiones ſuperatas relictis ad luctandum, altero cum anima, altero cum corpore.

Cap. XCIX.

POſteaquàm vniuerſas fere paſſiones homo Dei vicerit, duo remanent Dæmones luctantes cum eo: quorum vnus quidem turbas facit animæ, dum ita eam ab amore

amore Dei ad importunum zelum traducit, vt nullum alium æque atque ſe Deo placere velit: alter verò corpori, dum illud ad deſiderium rei venereæ incendij cuiuſdam operatione mouet. Hoc autem corpori accidit, primum quidem quia hæc voluptas propria eſt naturæ, vtporè ad generandum inſita: quamobrem facile corpus ſuperatur: deinde, quia cedit Deus, cum enim aliquem in numero luctantium multitudine virtutum excellentem eſſe videt, permittit eum quandoque ab huiuſmodi dæmone fœdari, vt exiſtimet ſe omnibus viuentibus viliorem, ac profecto vel moleſtia paſſionis ſequitur recte facta: vel recte facta antecedit, vt vel per anticipationem, vel per ſubſecutionem paſſionis anima ſibi inutilis quodammodo videatur, quamlibet magnæ alioqui ſint virtutes eius, & recte facta. Sed cum illo quidem multa humilitate, & charitate pugnamus: cũ hoc verò pugnamus: continentia, vacatione iræ, & prouida mortis cogitatione, vt hinc ſine vlla intermiſſione operationem Spiritus Sancti ſentientes, ſuperiores paſſionibus in Domino euadamus.

Quomodo

Quomodo à Religioſis ſtatim confitẽda ſint Deo peccata, etiam non voluntaria contra regulam cõmiſſa, & de metu tempore mortis; ſi non, vt decet, confeſſi Deo fuerimus.

C A P. C.

QVicunque ſanctæ cognitionis participes facti ſumus, de omnibus etiam [a] inuoluntariis cogitationibus vanis rationem repoſcemur. Annotaſti, (inquit Iob) ſi quid inuitus tranſgreſſus ſum, ac merito id quidem: Etenim ſi quis nunquam memoriam Dei intermiſerit, neque ſtudium mandatorum eius neglexerit, in peccatum voluntarium, aut non voluntarium non decidet. Oportet igitur offerre Domino ſtatim vehementem confeſſionem etiam erratorum non voluntariorum, quæ ſcilicet ad exercitationem [b] regulæ conſuetæ pertinent, non enim fieri poteſt, quin homo humana committat. Confiteri inquam oportet, donec conſcientia confitentis in lachrymis charitatis de remiſſione eorum plene perſuaſum habeat. Si enim (inquit) confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.

Oportet

Oportet autem attendere ſemper ſenſum confeſſionis, ne fortè conſcientia noſtra ſibi mentiatur, dum ſatis ſe, quis confeſſum eſſe Deo ſuſpicatur. Siquidem longe maius eſt [c] iudicium Dei conſcientia noſtra, tametſi exploratum ei ſit pleniſſime, nihil ſe ſibi conſcium eſſe, vt beatus Apoſtolus nos docet, cum ait, Sed neque me ipſum iudico: nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Qui autem me iudicat, Dominus eſt: Etenim niſi, vt decet, confeſſi fuerimus, metum quendam latentem tempore obitus noſtri in nobis reperiemus. Quare opus eſt, precari qui Dominum diligimus, vt ſimus tunc extra omnem metum: nam qui tunc in metu erit, per poteſtates tartareas non liberè, & fidenter tranſibit: habent enim illæ veluti adiutorem malitiæ ſuæ metum ipſum animæ: at anima, quæ in ſua erga Deum charitate hora mortis exultat, ſupra omnes acies Dæmonum cum Angelis pacis ſublimis fertur. eſt enim anima illa, veluti pennata ſpirituali charitate, vt quæ integrè plenitudinem legis, ipſam ſcilicet charitatem ſecum ferat. Quamobrem in aduentu Domini, qui cum huiuſmodi fiducia ex hac vita exceſſerint, cum omnibus ſanctis rapientur:

Qui

Qui verò tempore mortis, vel pauliſper formidarint, in multitudine omnium aliorum hominum relinquentur, tanquam iudicium ſubeuntes, vt igne [d] iudicij examinati, ſortes ſibi debitas pro ratione factorum à Deo optimo & rege Ieſu Chriſto recipiant: quoniam ipſe eſt Deus iuſtitiæ, & ipſius ſunt in ſempiternum diuitiæ benignitatis in nos, qui eum diligimus. Amen.

[a] *Eſt, inquit Marcus Anachoreta aliquãdo cogitatio aliqua ſine conſenſu, quæ odio habetur, & per vim retinet nos: ſed ſciendum, inquit, eſt, quòd ex nobis habet anſas, & initia: aut enim dedimus nos alicui prauæ cogitationi vſque ad effectum rei prauæ, & ideo remanſimus præter voluntatem, & inuiti obnoxij huic cognitioni: aut voluntariè habemus aliqua ſemina, quibus huiuſmodi cogitatio fixa eſt: de huiuſmodi ergo in voluntariis cogitationibus vanis intelligendum eſt, quod ait hic pater, reddendam eſſe rationem: etſi enim inuolantariæ ſint, ex cauſis tamen voluntariis ortæ ſunt. Aliæ ſunt inuoluntariæ omnino, & ἀναγκατικαὶ, vt ait idem Marcus: nobis inuitis immiſſa à Dæmone, quæ dicuntur προσβολαὶ, id eſt, appulſiones, de quibus non erit reddenda ratio, niſi eas amplectamur.*

[b] *Regu*

[b] *Regulam conſuetam vocat, quam quiſque religioſus in religione ordinis ſui profitetur.*

[c] *Si nemo poteſt habere certum ex fide, quod recte confeſſus ſit, poteſtque latere aliquid conſcientiam, quod non poteſt Deum, qui nouit omnia, qui maior eſt corde noſtro, ideſt, cuius iudicium maius eſt iudicio conſcientiæ, quid agũt qui certitudinem gratiæ hæretice promittunt?*

[d] *Interrogatio Thalaſſij, Quandoquidem S. Diadochus ſcribit cap. centeſimo, iudicandos eſſe quoſdam per ignem, & purgandos in ſæculo futuro, rogo, vt explanes mihi propoſitum eius. Sancti Maximi reſponſio, Qui adepti fuerunt charitatis perfectionem erga Deum, & alas animæ per virtutes in ſublime extulerunt, rapiẽtur ſecundum Apoſtolum in nubibus obuiam venienti. Qui vero non fuerunt adepti perfectam charitatem, ſed potius peccata habuerunt, vtpote nondum purgati, hi ad tribunal iudicij veniunt: vbi per examinationem bonorum, & malorum operum tanquam vſti, à ſuplicio liberati purgantur: ſi tamen lances bonorum operum præponderabunt. Hactenus S. Max.*

SANCTI

SANCTI NILI, DE ORATIONE.

CAPITA CL. FRANCISCO TVRRIANO, SOCIETATIS IESV Interprete.

[b] *Regulam conſuetam vocat, quam quiſque religioſus in religione ordinis ſui profitetur.*

[c] *Si nemo poteſt habere certum ex fide, quod recte confeſſus ſit, poteſtque latere aliquid conſcientiam, quod non poteſt Deum, qui nouit omnia, qui maior eſt corde noſtro, ideſt, cuius iudicium maius eſt iudicio conſcientiæ, quid agũt qui certitudinem gratiæ hæretice promittunt?*

[d] I*nterrogatio Thalaſſij, Quandoquidem S. Diadochus ſcribit cap. centeſimo, iudicandos eſſe quoſdam per ignem, & purgandos in ſæculo futuro, rogo, vt explanes mihi propoſitum eius. Sancti Maximi reſponſio, Qui adepti fuerunt charitatis perfectionem erga Deum, & alas animæ per virtutes in ſublime extulerunt, rapiẽtur ſecundum Apoſtolum in nubibus obuiam venienti. Qui vero non fuerunt adepti perfectam charitatem, ſed potius peccata habuerunt, vtpote nondum purgati, hi ad tribunal iudicij veniunt: vbi per examinationem bonorum, & malorum operum tanquam vſti, à ſuplicio liberati purgantur: ſi tamen lances bonorum operum præponderabunt. Hactenus S. Max.*

SANCTI

SANCTI NILI, DE ORATIONE.

CAPITA CL. FRANCISCO TVRRIANO, SOCIETATIS IESV Interprete.

FRANCISCI TVRRIANI INTERPRETIS PROLVSIVNCVLA AD S. NILVM.

FVIT Nilus Monachus Beati Chryſoſtomi diſcipulus, ſcripſit de Oratione ad Deum capita centum quinquaginta, item de nihil poſsidendo, περὶ ἀκτημοσύνης de Philoſophia Chriſtiana, de virtutibus, & vitiis, de comparatione vitæ Monachorum, qui in ſolitudine, & qui in ciuitate degunt, de cæde ſanctorum Martyrum monachorum in monte Sina. Item librum epiſtolarum, & alia multa, quæ ad manus meas non venerunt. Meminit quoque Photius in bibliotheca ſua horum de Oratione capitum, quibus diuine inſtruit orantem, omnia complexus, quæcunque poſſunt ad orantem pertinere.

SANCTI

SANCTI NILI, CAPITA CL. DE ORATIONE.

SI QVIS vult conficere thymiama odoratum, commiſceat æquis ponderibus ſecundum legem, thus lucidum, Caſſiam, Onycha, & Stactem. Hæc verò ſunt quattuor virtutes: etenim ſi ſatis eæ plenæ, & æquales fuerint, non prodetur mens.

Cap. I.

Anima, quæ integra mandatorum operatione purgata eſt, ordinationem, compoſitionemque mentis ſtabilem comparat: facitque eam aptam ad eum ſtatum, quem quærit capiendum.

2. Eſt oratio colloquium mentis cum Deo, quo igitur ſtatu oportet eſſe mentem, vt poſſit vſque ad Dominum ſuum extendi, & non conuerti retro, cum eoque ſine vllo ſequeſtre, & interprete colloqui?

 3. Si

3. Si Moyſes, cum niteretur appropinquare rubo, quam videbat, prohibitus eſt, donec ſolueret calceamenta pedum; quomodo qui vult eum, qui omnem ſenſum, & cogitationem antecellit, videre, & cum eo verſari, non omnem notionem perturbatam à ſe abiicet?

4. Ora vt lachrymas accipias, vt duritiam animæ tuæ, fletu mollias: & confeſſus peccata tua Domino, veniam ab eo impetres.

5. Vtere lachrymis ad recte orandum, antequam quicquam petas, oratione enim lachrymantis magnopere Dominus delectatur.

6. Lachrymæ, ceu ex fonte, in oratione tua manarint, ne te extollas, quaſi multis antecellas: miſſum enim eſt auxilium orationi tuæ, vt poſſes prompte peccata tua confiteri, & lachrymis Dominum placare.

7. Ne igitur in paſſionem mutes, quod ad delendum paſſiones datum eſt, ne magis irrites eum, qui gratiam dedit: multi enim peccata flentes, obliti quorſum ſpectent lachrymæ, inſanè aberrarunt.

8. Sta gnauiter; & ora intente; & repelle curarum, atque cogitationum incur-
ſus,

ſus,&c,congreſſus : turbant enim, & obſtrepunt,vt remittant contentionem orationis.

9. Cum te Dæmones promptum ad verè orandum vident, tunc ſubiiciunt quarundam rerum notiones, tanquam neceſſarias; & te paulo poſt aggrediuntur,vt earum recordatione mentem ad inquirendum de eis, excitent, vt rurſus ſi non reperias exitum quæſtionis,diſcrucieris, & doleas. Quando verò ſtas ad orationem,tunc tibi illa in memoriam reuocant, vt quæras, quæ oblitus eras. Id autem machinantur; vt mens ad eorum voluntatem relaxata, fructum orationis perdat. Contende ergo, vt mentem tuam tempore orationis ſurdam, & mutam reddas, & poteris orare.

10. Quando occurrerit tibi tentatio, aut controuerſia, aut ad vlciſcendum aduerſarium,vel ad verbum aliquod ſignificatione vacuum,iaciendũ irritaberis; Veniat tibi in mentem orationis,& examinis in oratione: & continuo illa animi commotio perturbata quieſcet.

11. Quæ feceris ad vindicandam iniuriam fratris,non erunt tibi commoda tempore orationis.

12. Oratio eſt manſuetudo, & fœtus ex vacuitate iræ procreatus.

13. Oratio eſt,quæ ex gaudio, & vacuitate iræ, gratiarumque actione proficiſcitur.

14. Oratio eſt doloris, & mœſtitiæ expultrix.

15. Abi,fac quod tibi dico:vẽde omnia, quæ habes, & da pauperibus: & accepta cruce,abnega te, vt poſſis ſine impedimento orare.

16. Si vis orare purè, & laudare, abnega te ad tempus: & quamuis permulta grauia, & moleſta patiaris,tolera pro oratione.

17. Quicquid durum,& aſperum patienter tolerabis, fructum laboris tempore orationis reperies.

18. Si cupis orare,vt decet, ne animam dolore afficias:alioqui fruſtra curris.

19. Relinque (inquit) munus tuum ante altare,& abi reconciliare fratri tuo:& tunc veniens, ora ſedatè: memoria enim iniuriæ obſcurat rationem orantis, & eius orationi tenebras offundit.

20. Qui dolores, & iniuriarum recordationes ſibi coaceruant,& ſibi interim orare videntur, ſimiles ſunt iis, qui aquam hauriunt,& in dolium pertuſum infundunt.

21. Si tolerans fueris, ſemper lætus orabis.

22. Te,

22. Te,vt decet,orante,eiuſmodi res occurrent , vt videatur tibi , æquum prorſus eſſe,ita vti : non tamen illo modo iuſta eſt aduerſus proximum ira. Etenim ſi quæras, reperies , recte rem ſine ira tractari poſſe. Omnem ergo machinam, & artem adhibe, ne ira erumpat.

23. Caue , ne videaris medicinam aliis facere, & tu ſis inſanabilis , atque orationi tuæ obſiſtas.

24. Qui ab ira ſe abſtinet, prudentem ſe oſtendet. Eſtque ex numero orantium.

25. Qui ſe contra iram armat , non concupiſcet ; cupiditas enim materiam præbet iræ ; quæ oculum mentis turbat, & ſtatum orationis ſubuertit.

26. Ne ores ſolo extrinſecus habitu, ſed potius mentem tuam ad ſenſum ſpiritualis orationis cum magno metu conuerte.

27. Aliquando quidem , ſtatim vt te ad orationem contuliſti,bene oras : aliquando verò cum multum alioqui laboraueris,non tamen propoſitum conſequeris : vt magis adhuc quæras , & adeptus virtutem atque officium orandi,ſpirituale eſſe ducas.

28. Cum præſto adeſt Angelus,continuo omnes,qui nobis obſtrepunt, abſcedunt:ac remanet mens in multa quiete , integre

orans interdum vero illato nobis bello, pugnat mens, & non ſinitur reſpirare: variis enim perturbationibus ante affecta eſt, tamen qui diutius, ac multum quærit, inuenit & pulſanti aperietur.

29. Ne ores, vt fiant, quæ fieri velis: non enim omnes cum voluntate Dei conſentiũt. Sed potius ora, ſicut orare didiciſti, vt fiat voluntas Dei in te, atque in omni re; hoc poſtula, vt fiat voluntas eius: vult enim quod bonum, & commodum animæ tuæ eſt: tu verò non hoc omnino quæris.

30. Sæpe per orationem petij, quod mihi bonum viſum eſt, & perſeuerabam in petitione, vim voluntati Dei inſipienter adhibens: & non dedit mihi illud, vt quod mihi commodius eſſe videbar, hoc potius pro ſuo ſapienti conſilio mihi prouideret: quod tamen cum accepiſſem, valde moleſte poſtea tuli, quod non magis voluntatem Dei fieri petiiſſem: non enim talis mihi occurrit res, qualem putabam.

31. Quid bonum, niſi Deus? igitur reddamus ei omnia noſtra, & bene erit nobis: bonus enim idem prorſus bonorum quoque munerum dator eſt.

32. Ne petas à Deo imperioſe, quod ſtatim velis impetrare: vult enim diutius te benefi

beneficio afficerę in oratione perſeuerantem. Quid enim excellentius, quàm cum Deo colloqui,& vſu eius detineri?

33. Oratio ſine diſtractione, eſt ſumma intelligentia mentis.

34. Si orare vis, repudia omnia,vt totum poſſideas.

35. Ora prius,vt purgeris ab ignorantia, & obliuione; ſitque tertium,vt libereris ab omni diſtractione, & derelictione.

36. Quære in oratione ſolum iuſtitiam, ideſt, cognitionem: & reliqua adiicientur tibi.

37. Iuſtum eſt, non ſolum pro purgatione propria orare, ſed etiam pro omnium purgatione,vt morem Angelorum imiteris.

38. Vide, vtrum in oratione tua vere aſtitiſti Deo,an laude humana ductus,hanc venari ſtuduiſti, vtens tanquam prætextu quodam, & ſimulatione prolixitate orationis.

39. Siue cum fratribus, ſiue ſolus oras, contende non conſuetudine, ſed ſenſu orare.

40. Senſus eſt conſideratio cum reuerentia, & compunctione, ac dolore animæ in confeſſione peccatorum cum ſuſpiriis, ſine voce.

40. Senſus eſt conſideratio cum reuerentia, & compunctione, ac dolore animæ in confeſſione peccatorum cum ſuſpiriis, ſine voce.

41. Si tempore orationis mens tua circunſpicit,nondum intellexiſti;te, vt monachum orare : quin potius adhuc ex mundo es , & ſcenam extrinſecus ornas.

42. Cum oras , memoriam tuam totis viribus cuſtodi , ne tua tibi proponat , ſed ea, quæ te moueant ad intelligendum,vbi ades & aſtas:eſt enim mens vehementer apta,vt, cum orat , ex ea prædam capiat memoria.

43. Veterum rerum ſimulachra affert tibi inter orandum memoria,aut nouas curas,aut perſonam eius,qui te dolore affecit, repræſentat.

44. Vehementer inuidet homini oranti Dæmon,& omni arte , atque machina vtitur, vt illius propoſitum lædat. Non igitur ceſſat notiones per memoriam agitare : & omnes paſſiones per carnem commouere, vt eius optimum curſum,& ad Deum profectionem impedire poſſit.

45. Cum Dæmon , poſtquam multa machinatus eſt, non poteſt orationem ſtudioſi hominis impedire , remittit paulum , & poſtea eum , qui orauit vlciſcitur:aut enim ira

ira illum incendens, optimum eius ſtatum ex oratione conflatum diſturbat, ac delet: aut ad voluptatem aliquam à ratione abhorrentem prouocans, menti facit contumeliam.

46. Cum oraueris, vt orare oportet, expecta, quæ non oportet: & ſta viriliter cuſtodiens fructum tuum; ad hoc enim à principio poſitus es: ne igitur poſtquam laboraueris, quod laboratum eſt, ſine cuſtodia relinquas: alioqui orando nihil proficies.

47. Vniuerſum bellum, quod inter nos, & Dæmones conflatur, non eſt de alia re, quàm de oratione: eſt enim illis oratio valde aduerſa, & odioſa; nobis verò ſalutaris, & valde benigna.

48. Volunt Dæmones eſſe in nobis effectores gulæ, auaritiæ, iræ, memoriæ, iniuriarum, & reliquarum perturbationum, vt mens illis hebetata, non poſſit orare, vt oportet. Paſſiones enim, quæ in alia parte animæ cœperunt eſſe, non ſinunt eam ſecundum rationem moueri.

49. Virtutes capeſſimus propter rationes eorum, quæ aguntur; rationes verò propter rationem ſubſtantialem, ideſt Deũ. hæc verò in ſtatu orationis apparere ſolita

 eſt.

eſt. ſtatus igitur orationis eſt habitus ſine perturbatione, qui mentem ſtudioſam, & ſpiritualem ſummo amore in ſpiritualem altitudinem euehit, & conſumat.

50. Non ſolum in iram, & cupiditatem eum dominari oportet, qui vult verè orare, ſed etiam extra turbidam cogitationem eſſe.

51. Qui amat Deum, ſemper cum hoc, tanquam cum patre conſuetudinem, & ſermonem habet, repudians omnem notionem turbatam.

52. Non continuò, qui vacuitatem paſſionum adeptus eſt, bene orat; poteſt enim eſſe in [a] nudis notitiis; & hiſtoriis diſtrahi; ac longe abeſſe à Deo.

[a] *Nudæ notiones ſunt, quæ non ſunt commiſtæ cum fide, ſpe, & charitate.*

53. Non continuò, quando mens non facit moram in nudis notitiis rerum, locum iam orationis aſſecuta eſt: poteſt enim par eſſe in contemplatione rerum, & de rationibus earum meditari: quæ quidem, etſi ſint [b] nuda verba mentis, tamen tanquam contemplationes, informant, atque figurant mentem, & procul à Deo abducunt.

[b] *Nuda*

[b] *Nuda verba mentis, ideſt, ſine paſſionibus.*

54. Etſi mens non contempletur naturam corporum, nondum tamen timorem Dei perfecte vidit: poteſt enim eſſe in cognitione [c] notionum, & in ea varie affici.

[c] νοήματα, *ideſt, notiones, dicit rerum incorporearum.*

55. Si vis orare, opus eſt, vt Deus orationem oranti tribuat: ergo implora eum his verbis. Sanctificetur nomen tuum: adueniat regnum tuum. Id eſt, Spiritus Sanctus, & filius tuus vnigenitus, hoc enim docuit, cum dixit, in ſpiritu, & veritate adorari patrem.

56. Qui in ſpiritu, & veritate orat, non amplius laudes Dei ex creaturis celebrat, ſed potius ex ipſo ipſum laudat.

57. Si es theologus, verè orabis: & ſi eris theologus, & vere orabis theologus verè eris.

58. Cum mens tua multo Dei deſiderio paulatim ſe à carne ſubducit, omneſque ex ſenſu, aut memoria, aut corporis temperatione ortas cogitationes repudiat, tunc

tunc te exiſtima appropinquaſſe terminis orationis.

59. Spiritus Sanctus, dolens nobiſcum infirmitatem noſtram, etiam ad nos impuros venit: qui ſi mentem ſolam ſtudiosè orantem reperiat, aſcendit in eam; & totam multitudinem cogitationum, aut notionum, quæ mentem circundant, delet; hortans eam ad amorem ſpiritualis orationis.

60. Cæteri per immutationem corporis efficiunt in mente cogitationes, aut notiones, aut contemplationes: contra verò Deus per ſe ipſum in mentem aſcendens cognitionem eorum, quæ vult, in illa ponit: & per mentem inæqualitatem corporis temperat, ac lenit.

61. Qui ſtudioſus eſt veræ orationis, & ſimul iraſcitur, & eſt memor iniuriarum, idem inſanus eſt: eſt enim ſimilis ei qui cupit acute cernere, & idem oculos ſuos turbat.

62. Si orare deſideras, nihil facias eorum, quæ orationi aduerſantur, vt tibi appropinquet Deus, & tecum ambulet.

63. Cum oras, ne figures Deum in te ipſo, immo accede ſine materia ad expertem materiæ, & intelliges: minue laqueos aduer

aduerſariorum: fieri enim ſolet, vt oranti pure, & quiete adſit repente forma aliqua noua, & alieni generis, vt te in elationem abducat coniectantem habere Deum formam, vt repentina illa oſtenſio magnitudinem habere perſuadeat. eſt enim Deus expers magnitudinis, & figuræ.

64. Cum non poteſt inuidus Dæmon memoriam in oratione excitare, tunc temperationi corporis vim infert, vt faciat aliquod inuſitatum ſimulacrum apparere ad figurandum Deum. Cui autem vſus, & conſuetudo eſt hærere in rerum notionibus, facile flectitur: & dum properat ad cognitionem à materia, & figura liberam, fallit ſe ipſum, qui fumum pro lumine retineat. Quamobrem ſta in cuſtodia tua, mentemque tuam à notitijs iſtis inter orandum cuſtodi, vt in quiete tua ſis, & qui miſeretur imbecillium, præſtò quoque adſit tibi: tunc donum orationis, gloriæ pleniſſimum accipies.

65. Non poteris orare pure, rebus, ac negocijs terrenis implicatus, & aſſiduis curis onuſtus: oratio enim eſt depoſitio cogitationum.

66 Sicut non poteſt currere, qui ligatus eſt: ſic mens, quæ perturbationibus ſeruit, locum

locum ſpiritualis orationis videre non poteſt: trahitur enim, & huc, atque illuc à perturbatis cogitationibus agitatur: & ſtatum fixum, atque immobilem non habet.

67. Cum iam deinceps mens purè, & ſine perturbatione orat, non amplius Dæmones à ſiniſtris adoriuntur, ſed à dextris: ſubiciūnt enim illi ſplendorem Dei,& imaginem quandam eorum, quæ ſunt amica ſenſui, vt videatur ſibi finem, ac propoſitum orationis perfectæ adeptus: hoc autem quidam vir multa actione exercitatus expoſuit à vana gloria proficiſci, ſimulque à Dæmone locum cerebri attrectante.

68. Exiſtimo Dæmonem, qui locum, quem dixi,attrectat, lumen menti circūfuſum vt ei libet,vertere: atque ita paſſionem vanæ gloriæ excitare: ita cogitatione mentem informando, vt ipſa mens coniecturam faciat diuinæ, & ſubſtantialis cognitionis. itàque cum iſte carnalibus, & fœdis paſſionibus non agitetur, immo pure in oratione aſtet, non amplius putat aliquid in ſe ab aduerſario fieri. Vnde ſuſpicatur, quod ſibi apparet, id eſſe diuinum, dum Dæmon vehemēter vi ingenij ſui vtitur,ac per cerebrum lumen coniunctum immutat, & mentem, vt ante diximus, informat.

69. Ange

69. Angelus verò Dei præſto adeſt, qui ſolo verbo operationem aduerſarij ſiſtit, & mouet lumen mentis, vt ſine errore, ac fallacia operetur: quod in [a] Apocalypſi dicit beatus Ioannes, ferre Angelum thymiama, vt daret in oratione ſanctorum; exiſtimo eſſe gratiam Dei, quam ipſe per Angelum operatur: efficit enim cognitionem veræ orationis, vt ſtet deinceps mens extra omnem agitationem, & acediam, atque ſegnitiem.

[a] *Apoca.* 5.

70. Phialæ thymiamatum dicuntur eſſe orationes ſanctorum, quas xxiiii. ſeniores offerebant.

71. Phialam verò exiſtimare licet, eſſe amicitiam cum Deo, perfectam dico, & ſpiritualem charitatem, quæ efficit, vt in ſpiritu, & veritate oremus.

72. Cum videbitur tibi non opus eſſe lachrymis in oratione tua propter peccatum, conſidera quanto tempore à Deo fueris abſens, qui ſemper in eo eſſe debebas, & feruidus lachrymaberis.

73. Si conſideraueris modum tuum, libentius flebis, miſerum te prædicans, exemplo Eſaiæ, quod impurus cum ſis, & in medio populi impuri, audeas aſtare Domino

mino Sabaoth.

74. Si verè oraueris, omnis dubitationis vacuitatem reperies: venientque ad te Angeli ſicut ad [a]Danielem, & rationibus eorum, quæ fiunt, te illuminabunt.

[a] Dan. 9.

75. Scito ſanctos Angelos ad orationem hortari nos, & nobiſcum pariter ſtare cum lætitia pro nobis orantes. Si igitur negligentes ſumus, cogitationeſque contrarias admittamus, magnopere eos irritamus, quod ipſi pro nobis tantopere certent, nos verò vel pro nobis ſupplicare Deo nolimus, quin potius neglecto eorum miniſterio, & eorum Domino, ac Deo derelicto cum impuris Dæmonibus congreſſum habeamus.

76. Ora manſuete, & quiete, ac cane prudenter, & concinne, & eris tanquam pullus aquilæ, quæ volatu in ſublime fertur.

77. Cantus pſalmorum ad perturbationes ſopiendas valet, & vt ipſa corporis temperatio ſedata ſit: Oratio verò facit, vt mens actione ſua vtatur.

78. Oratio eſt actio, atque vſus mentis præſtantior, & purior qui dignitatem eius in opere decet.

79. Cantus pſalmorum variæ ſapientiæ eſt; oratio verò præmium eſt cognitionis, à materia, & varietate liberæ.

80. Optima eſt cognitio: eſt enim adiutrix orationis, vim intelligendi menti inditam excitans.

81. Si nondum accepiſti chariſma orationis aut pſalmodiæ, inſiſte, & accipies.

82 Dicebat (inquit) eis parabolam de eo, quòd oportet eos ſemper orare & nũquam deficere. [b] igitur ne deficias, nec ægre feras quod hactenus non acceperis, accipies enim poſtea. ſubiunxit enim illud deinceps in parabola, & ſi Deum non timeo, neque hominem reuereor, tamen quia moleſta eſt mihi mulier, faciam iudicium eius: ſic igitur faciet Deus vindictam citò clamantium ad ſe die, ac nocte, quamobrem bono animo eſto perſeuerans grauiter in ſancta oratione.

Luc. 18.

83. Ne velis, vt tibi videtur, ſed vt Deo placet quæ ad te pertinent, fieri: ita fiet, vt ſis in oratione tua trãquillus, & erga Deum gratus.

84. Si videris tibi eſſe cum Deo, caue à Dæmone fornicationis, eſt enim fallaciſſimus, & maxime inuidus: vultque eſſe velocior

locior motione, & vigilantia mentis tuæ, vt eam abſtrahat à Deo, cum ſe coram Deo cum reuerentia, & metu ſiſtit.

85. Si tibi cura eſt de oratione, para te ad incurſiones Dæmonum; & plagas ab eis illatas fer toleranter: inuadent enim in te, tanquam truculentæ feræ, & corpus tuum male afficient.

Para te, tanquam expertus pugil, & quãuis ſpectrum repente videas, ne mouearis: quamuis diſtrictum gladium, aut lucernam circum oculos, ne turberis: quamuis formam aliquam deformem, & cruentam, ne animo conſternaris, quin potius ſta, bonam confitens confeſſionem, & facile videbis in inimicis tuis.

87. Qui acerba tolerat, læta etiam adipiſcetur: & qui triſtia fortiter ſuſtinet, non carebit iucundis.

88. Caue ne te mali Dæmones quopiã viſo, ac ſimulachro decipiant: ſed potius eſto conſideratus, teque ad orationem cõuerte, atque Deum implora, vt ſi ab eo proficiſcitur viſum, idem te illuminet: ſin autem non proficiſcitur, cito viſum ex te eiiciat, & bono animo eſto, quia non ſtabunt canes, ſi tu grauiter baculo orationis vtaris: ſtatim enim à poteſtate ſub ſenſum oculo-

rum

rum non cadente verberati procul pellentur.

89. Iuſtum eſt hanc quoque fallaciam Dæmonum non ignorare: aliquando ſe ipſi diuidunt, & ſi videberis auxilium quærere, ingrediuntur reliqui habitus, atque ſpecie Angelorum induti, qui primos expellunt, vt ab eis decipiaris iudicando, tanquam ſancti Angeli ſint.

90. Stude, vt multa humilitate, & fortitudine preditus ſis, ita fiet, vt violenta Dæmonum aggreſſio non te attingat: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, quoniam Angelis ſuis mandabit de te Deus, vt cuſtodiant te, & omnem aduerſarij vim à te nihil oculis cernente depellent.

91. Strepitus, & voces, & percuſſiones Dæmonum audies, cui ſtudium & cura ſit pure orandi; non tamen concidet, neque prodet hoſtibus rationem, ſi alloquens Deum dicat, non timebo, quoniam tu mecum es, & alia huiuſmodi.

92. Cum huiuſmodi tentationes accident, breui, & intenta oratione vtere.

93. Si tibi Dæmones minantur, quòd repente ex aëre apparere velint, & terrere te, atque mentem tibi eripere, aut tanquam

quam feræ carnem tuam lædere,ne paueas, neque vllo modo eorum minas cures: iniiciunt enim terrorem,vt experiantur,vtrum eos attendas,an potius eos prorſus contempſeris.

94. Si aſtas omnipotenti Deo, & mundi fabricatori, quomodo ita temere,& inconſideratè ei aſtas, vt relicto metu eius inuicto, culices & ſcarabæos metuas? an non audiſti dicere, Dominum Deum tuum timebis? & rurſus, quem horrent, & tremunt omnia à facie virtutis eius, & quæ ſequuntur?

95. Sicut panis eſt alimentum corporis: & virtus animæ, ſic ſpiritualis oratio alimentum mentis eſt.

96. Ne ores Phariſaice, ſed more potius publicani in ſacro loco orationis, vt tu à Deo iuſtificeris.

97. Stude, vt ne oratione tua contra vllum ores,ne quæ ædificas,euertas, faciaſque orationem tuam execrabilem.

98. Doceat te ille tribunus militum,qui decem millia talentum debebat, quod niſi debitori tuo remittas,nec ipſe remiſſionem conſequeris, tradidit enim illum (inquit) tortoribus.

99. Prætermitte neceſſitates coporis,dum preces

preces adhibes, ne pungente pulice, aut pediculo, aut culice, aut muſca, iacturam facias maximam orationis.

100. Venit ad nos quidam, qui narrabat, quemadmodum Dæmon vſque adeo cuidam ſancto cum oraret, reſiſtebat, vt ſimulatque ille manus tenderet, Dæmon ſe in Leonis formam verteret, & prioribus pedibus erectis vngues vtrinque illius malis infigeret, à quo non prius diſcedebat, quam manus frangeret: qui verò orabat, non prius remittebat, quam orationes conſuetas abſolueret.

101. Talem fuiſſe intelleximus in lacu quiete commorantem Ioannem illum, cognomento Paruum; ego verò magnum interpretor, qui circumplicatus Dæmone in ſpeciem Draconis mutato, & corpus eius mandente, atque in faciem eius vomente, tamen ſe à colloquio & congreſſu Dei non dimouebat.

102. Legiſti ſanè vitas etiam Monachorum Tabenneſiotarum; in quibus ſcriptum eſt, quemadmodum, cum Theodorus Abbas ſermonem apud fratres haberet, duæ viperæ ſubter pedes eius ſe intulerunt: ille verò ſine vllo metu, aut tumultu, veluti camera ex pedibus facta, illas intus

complexus eſt, donec ſermonem abſoluit: t unc eas fratribus oſtendit, rem totam narrans.

103. De alio rurſus fratre ſpirituali legimus, quod cum oraret, acceſſit vipera, quæ pedem eius tetigit: ille verò non prius manus deiecit, quam ſolitam orationem abſolueret, nihilque incommodi accepit, qui Deum pluſquàm ſe dilexit.

104. Habe oculos in oratione, non diſtractos, ac vagos, & cura carni, atque animæ denegata, fac adſis mente.

105. Fuit alius ſanctus vir, vitam in ſolitudine cum ſilentio tranſigens, hunc cum ſtudioſe oraret, Dæmones duabus hebdomadibus, velut orbem quendam, in aërem iactabant, per aëra illum excipientes: mentem tamen nullo modo diſtrahere ab oratione ſua feruida potuerunt.

106. Fuit item alius charitatis in Deum ſtudioſus, & ſtudio orationis deditus, huic in ſolitudine ambulanti, duo Angeli ſe adiunxerunt, quos ille minime attendere voluit, ne melioris rei iacturam faceret. Meminerat enim Apoſtoli, cum ait, nec Angeli, neque principatus, neque poteſtates poterunt nos à charitate Dei ſeparare.

107. Ange

107. Angelis efficitur ſimilis Monachus, qui per veram orationem cupit videre faciem patris, qui in cœlis eſt.

108 Ne quæras prorſus, vt forma, aut figura vlla tibi inter orandum appareat.

109. Ne deſideres videre Angelos, aut poteſtates aut Chriſtum ſenſu oculorum, ne prorſus amens fias, ac lupum pro paſtore ſuſcipiens inimicos Dæmones adores.

110. Initium erroris ſuperbia mentis, hinc enim fit, vt ipſa Deum lineamentis figurare, ac circunſcribere nitatur.

111. Dicam ipſe, quod adoleſcentibus dixi: beata mens, quæ dum orat, omnibus formis omnino vacua eſt.

112. Beata mens, quæ expeditè, ac ſine diſtractione orat: huic ſemper plus deſiderij accedit.

113. Beata mens, quæ, dum orat, omnino omnium ſenſuum vſu vacua eſt.

114. Beata eſt mens, quæ tempore orationis nihil rerum habet, nihil poſſidet.

115. Beatus eſt monachus, qui ſe omnium peripſema, ideſt, abiectiſſimum reputat.

116. Beatus monachus, qui poſt Deum, omnem hominem, tanquam Deum reputat.

117. Beatus monachus, qui ſalutem & profectum omnium, tanquam ſuum, cum omni gaudio videt.

118. Monachus eſt, qui ab omnibus eſt ſeparatus,&ad omnes apte accommodatus.

119. Monachus eſt, qui vnum ſe ex numero omnium ducit, quia ſe in vno quoque ſine vllo diſcrimine videre exiſtimet.

120. Hic orat, qui primordia cogitationum & notitiarum mentis ſuæ Deo dedicat.

121. Mendacium & omne iuſiurandum declinet Monachus, & oret cum deſiderio, alioquin fruſtra ſimulat, quod ſibi non conuenit.

122. Si vis orare ſpiritu, neminem ex carne ſpectes: & non habebis caliginem tibi offuſam.

123. Committe Deo, quæ opus ſunt corpori, ita fiet planum, te, quæ opus ſunt ſpiritui, eidem quoque committere.

124. Si quæ promiſſa ſunt conſecutus fueris, regnabis: igitur in promiſſa illa intuens, æquo animo præſentem paupertatem tolerabis.

125. Ne repudies paupertatem, & afflictionē,quæ sũt materia orationis expeditæ.

126. Ne

126. Ne vireutes [a] corporis ad virtutes animæ negligenter ſpectent, neque virtutes animæ ad virtutes ſpiritus: nec hæ rurſus ad illam incorpoream ſubſtantialem cognitionem.

[a] *Virtutes corporis ſunt, quibus motus carnis moderamur, ac continemus, vt ieiunium, humicubatio, peruigilatio, & reliquæ exercitationes corporales, vt Apoſtolus vocat, quæ ſpectare debent, & referri ad virtutes animæ, quæ hominem interiorem purgant; ſine quibus illæ priores nihil proficiunt: hæ rurſus referendæ ſunt ad virtutes ſpiritus, quæ ſunt fides, ſpes, & charitas, ſine quibus nec ipſæ illæ virtutes animæ proficiunt, & hæ rurſus referendæ ad illam beatam contemplationem Dei, qui eſt finis, & beatitudo noſtra, hoc eſt triplex genus virtutis, quod pertinet ad integritatem corporis, animæ, & ſpiritus: quam precatur Apoſtolus Theſſ. quæ à Salomone dicitur in prouer. c. 3. ſanitas carnis, oſſium & colli: cum carne enim comparat virtutes corporis, quia ſunt infirmiores habitus, quibus motus carnis refrenantur: cum oſſibus vero virtutes animæ, quia ſunt firmiores habitus, quibus motus cogitationum cohibentur: cum collc vero comparat ſpiritum, quia ad inſtar colli corpus cum capite copulantis, coniungit nos cum Deo per contemplationem.*

127. Conſidera, qui oras, cogitationem, ſi ea facile remittit, vnde profecta ſit, ne quid occulti mali patiaris negligendo eam.

128. Aliquando enim Dæmones non ſubijciunt tibi cogitationem: & aliquando rurſus ſubiiciendo te irritant, vt contra eos ores, aut eos redarguas, & volentes diſcedunt, vt deceptus ſuperbe exiſtimes, cœpiſſe te vincere cogitationes, ac Dæmones terrere.

129. Si oras contra paſſionem, aut moleſtias Dæmonis, veniat in mentem eius, qui ait, perſequar inimicos eius, & comprehendam eos, & non conuertar, donec deficiant: cadent ſubter pedes tuos, & quæ ſequuntur: hæc tempeſtiuè dices.

130. Si te humiliter contra aduerſarios armes, ne exiſtimes te iam virtutem comparaſſe, niſi prius vſque ad ſanguinem pro ea pugnaueris. Oportet enim vſque ad mortem peccato pugnaciter, & infracto animo, ideſt, non deficienter, ſicut Paulus monet, reſiſtere.

131. Si hunc iuuabis, alter te lædet, vt accepta iniuria aliquid abſurdum vel dicas, vel facias: & male diſſipes, quæ bene congregaris: Huc enim ſpectant Dæmones.

Quare

Quare ſtudioſe, & conſiderate attendendum eſt.

132. Expecta impetus & aggreſſiones Dæmonum, curam adhibens, quomodo ab eorum ſeruitute diſcedas.

133. Noctu quidem Dæmones per ſe ipſi expetunt ſpiritualem magiſtrum turbare: interdiu verò per homines aduerſis caſibus, & calumniis, ac periculis, implicant.

134 Ne recuſes imitari fullones, qui etſi calcando tunduut, nihilominus tamen ab eis albeſcit veſtis.

135. Quandiu perturbationes non repudiaris, ſed potius mens tua cum virtute, ac veritate luctetur, non reperies in ſinu tuo odoratum thymiama.

136. Si cupis orare, transfer te à terrenis ad cœlum, ibique verſare, non verbis tantum, ſed actione Angelica, & diuiniore cognitione.

137. Si ſolum in rebus aduerſis memor es iudicis, quod ſit pertimeſcendus, & incorruptus; nondum didiciſti ſeruire Domino in timore, & exultare ei in tremore. Scito enim etiam in laxamentis ſpiritualibus, & in conuiuiis ſeruiendum eſſe illi.

138. Ille eſt conſideratus vir, qui ante perfectam pœnitentiam non intermittit

memoriã cum dolore peccatorum, & iuſti eorum in igne æterno ſupplicij.

139. Mens quæ eſt irretita peccatis, & Deum irritat, audet tamen impudenter ad cognitionem rerum diuinarum ſe prouehere, aut etiam ad orationem ſpiritualem aſcendere, irrogetur ei Apoſtolica mulcta, quia non licet ei, nudo & aperto capite orare: debet enim (inquit) quæ huiuſmodi eſt, poteſtatem habere ſuper caput, propter præſides Angelos, pudorem, & humilitatem decentem induta.

140. Sicut ei, qui eſt lippis occulis, non eſt commodum ſolem in meridie in maximo eius ſplendore, ac lumine intentis oculis intueri, ſic neque menti perturbatæ, & impuræ vtilis erit repræſentatio orationis in ſpiritu, & veritate, quæ naturam antecellit, & deterret.

141. Si illum, qui ad aram acceſſit, non admiſit is, qui nulla re indiget, & incorruptus iudex eſt, donec proximum de ſe conquerentem ſecum in gratiam reconciliaret, conſidera quanta cautione, ac iudicio opus erit, vt demus Deo thymiama acceptum in ara ſpirituali.

142. Ne delecteris verbis, neque gloria: alioqui non iam in mente, ſed in conſpe-

ctu

ctu tuo fabricantur peccatores; eriſque eis ludibrio tempore orationis, abſurdis cogitationibus ab eis abſtractus, & illectus.

143. Qui attentione orationem quærit, orationem inueniet: attentionem enim ſequitur oratio, & aliud quid.

144. Sicut ſenſus viſus ceteris ſenſibus præſtat, ſic attentio omnibus virtutibus diuinior eſt.

145. Non ſpectat ad laudem orationis, quanta ſit tantum, ſed qualis: quod quidem declarant illi, qui ad templum aſcenderunt, vt orarent: immo & illud, quod eſt in Euangelio. Vos autem, cum oratis, nolite multum loqui, & quæ ſequuntur.

146. Quandiu attendis proportionem corporis, & mens tua illa, quæ in ſcena delectant, circumſpicit, nondum locum orationis vidiſti, immo hæc beata via procul adhuc abeſt.

147. Cum ſtas in oratione, & inde lætitiam capis, quæ omnem ſuperat lætitiam, tunc orationem verè reperiſti.

Digitized by Google

HESYCHII PRESBYTERI AD THEODVLVM,

SERMO COMPENDIOſus, animæ perutilis de Temperantia & virtute, quæ dicuntur ἀντιῤῥητικαὶ καὶ εὐκτικαί.

SIVE

DE SPIRITVALI TEMPErantia, & cordis puritate reluctando & inuocando comparanda.

AMEDEVS SALLYVS THEOLOGVS HETÆRIANVS, LECTORI Beneuolo S.

HEſYCHIOS plures apud Photium legimus. Nempe Cod. 51. Heſychium Preſbyterum Conſtantinopolitanum. Cod. item 275. Heſychium Hieroſolymitanū Preſbyterum, cuius etiam mentio eſt Cod. 269. Cod. denique 49. Heſychium illuſtrem, Mileſium, cuius opera memorat Photius, hiſtoriæ omnigenæ atque Romanæ libros ſex, & commentarium rerum geſtarum à Iuſtino Imperatore atque Iuſtiniano eius ſucceſſore in initio adminiſtrationis Imperij, vti abruptam ab eo fuiſſe ſcriptionē ait Photius, interuentu mortis Ioānis Filij, quæ hominē adeo per-

tulit, vt calamum abiecerit Suidas. V. *Heſychius* ſcribit hunc ipſum Heſychium illuſtrem ſcriptorē hiſtoriæ, ſuſpectum factum Græcanicæ ſuperſtitionis,eo quod ſi Chriſtianus fuiſſet, non videretur prætermiſſurus fuiſſe Chriſtianos Doctores,quos ab eo miſſos factos in tabula clarorum eruditione virorum memorat. Hallucinatum tamen Suidám exiſtimo, & hunc ipſum Heſychium, non priorum illorum aliquem autorem eſſe horum de Temperantia capitum, arbitror; nec aliunde argumentum duco,quàm ab ipſo Heſychio horum capitum ſcriptore. Teſtatur enim Centuria 1. cap. 13. conſcriptam à ſe illuſtrem hiſtoriam bellicam ſtylo pereleganti & florido, quem à ſe in his capitibus compulſo dimiſſum profitetur. Audi verò de ſtylo quo conſcripta eſt ea hiſtoria, Photium Cod. illo 69. *Conciſus eſt atque diſertus. Nam & dictione vſus florida ac ſignificantē: & ipſa orationis ſtructura pari ab eo ratione eſt elaborata, dum verborum maximè gaudet proprietate. Sicubi verò dictionem ſignificantem etiam cum maxima emphaſi ſectatur, in ſua tranſlatione auditorem oblectat,vt nihilo obſcurius,quin forte clarius rem ob oculos ponat, quàm ſi nulla figura vſus fuiſſet.* Itaque exiſtimo vrgentiſſimam

mam coniecturam hinc ſuppetere,ad agnoſcendum legitimum parentem capitum binis his Centuriis comprehenſorum: & abſtergendam maculam quæ Heſychio Mileſio apud Suidam inuritur: & eo de quo ſupra ſilētio Chriſtianorum Doctorum,cuius alia eſſe potuit ratio, quàm autoris à Chriſtiana fide alienus animus. Quid ſi enim externarum duntaxat ſyllabam conficere inſtituerat? Quod verò apud Photium, hic ipſe Heſychius coniugio iunctus memoretur,cum tamen horum capitum autor ſtatuatur Presbyter, nihil nobis incommodat. Potuit enim defuncta vel annuente vxore,poſt conceptum ex Ioannis Filij obitu acerbiſſimum dolorem,vexatione intellectum dante, abiicere coniugij moleſtias, & ſacerdotio inaugurari. Quinetiam factum monachum ſeculoque renunciaſſe conſtat ex his capitibus, quæ planè ſunt hominis Monachum profitentis. Et quia tempora conſentiũt, exiſtimo inſuper hunc ipſum eſſe illum Heſychium pium & doctum Monachum à fide ſyncera & ſcriptis irreprehẽſibilibus commendatũ à S. Theodoro Studita in Teſtamento cap. 4. aggregatumque SS. Dorotheo & Barſanuphio, quos compertum eſt eo ipſo tempore claruiſſe,

ruiſſe, quo Heſychium hiſtoriæ omnigenæ ſcriptorem floruiſſe,ſupra diximus ex Photio & Suida. Quæ ſi vera ſunt,vt ſunt certè probabiliſſima,habemus non modo verum parentem horum capitum Centurias binas explētium hactenus incognitum, ſed etiam luculentum de eius eruditione ex Photio, inſuperque de ſanctitate & ſyncera fide ex S. Thodoro Studita, teſtimonium. Quanquam ſanctitatem adeo ſpirant hæc capita, vt non ſit præconio extero opus; quod vt ſpero,deprehendent,qui iis veluti ſacrarum commentationum punctis vtentur; vno capite, aut (cum interdum continet aliquod ieiunius,) binis ad vnam piam commentationem vſurpatis. Poſſeuinus in Apparatu V. *Heſychius* hæc capita non videtur ſatis perſpecta habuiſſe, cum ſcripſit extare in Bibliotheca Bauarica nondum editum ſermonem Heſychij cuiuſdam, à Mileſio & Hieroſolymitano ac Conſtantinopolitano diſtincti: de ſobrietate & virtute centum capitibus diſtributum, & alium item ſermonem totidem capitibus comprehenſum. Addit item Poſſeuinus extare Lutetiæ in Bibliotheca Regia librum de quiete animæ, & librum de oratione. Hinc infero non ſatis hæc capita introſpexiſſe Poſſeuinum:

num : duo enim illi ſermones quos duntaxat manuſcriptos in Bauaria extare ſenſuit, pridem cuſi Lutetiæ leguntur Græcè & Latinè; ſuntque iidem cum iis ipſis capitibus ducentis de ſobrietate ſiue temperantia ſpirituali, atque virtute, vt præfert ipſemet titulus. Ac ne quis Temperantiam hic imaginetur, quæ ſenſuum delectationibus modum ponit, diſertè ipſemet Heſychius Centur. 1. num 1. docet ſpiritualem hanc Temperantiam eſſe cauſam quatuor virtutum Cardinalium. Ex Centuria 2. capite 96. profitetur ſe his capitibus ducentis de quiete animæ, ſiue vt habetur eadem centur. 2. cap. 7. de mentis conſeruatione & puritate cordis, quæ ſpiritalis Temperantia dicitur, reſiſtendo & orando conſequenda diſputaſſe. Ex quo patet, ſermones illos Bauaricos, & libros Bibliothecæ Regiæ à Poſſeuino memoratos, reipſa eoſdem eſſe cùm iis duabus capitum Aſiaticorum centuriis, quas in pij Lectoris vſum denuò facimus publici iuris, vtinam eo commmuni fructu & commodo, quod ipſi editionem iſtam curantes propoſitum habuimus.

HESY

Digitized by Google

HESYCHII PRESBYTERI DE PVRITATE CORDIS, Centuria I.

TEMPERANTIA methodus eſt ſpiritualis, quæ ſiue cunctetur, ſiue pergat, alacriter hominem à conceptibus & ſermonibus affectionum plenis ac prauis operibus opitulante Deo prorſus liberat.

Certam etiam de Deo incomprehenſibili notitiam largitur, quantum aſſequi licet: necnon diuinorum & occultorum myſteriorum ſecretam præbet ſolutionem: ſuppeditat vires implendi cuncta Dei mandata, tam veteri quàm nouo teſtamento comprehenſa: & tandem vniuerſa bona præſtat futuri ſæculi. Hæc autem propriè eſt puritas cordis. Quæ quidem propter excellentiam & bonitatem ſuam, vel (vt magis propriè loquar) ob ignauiam & negligentiam

gentiam noſtram, hodie profectò rara eſt in monachis: quam Chriſtus beatam præ-
» dicat, his verbis, [a] Beati mundo corde,
» quoniam ipſi Deum videbunt. Cùm ergo ſit eiuſmodi, magno redimitur Temperantia, quæ perdurat in homine, rectæ Deóque placentis vitæ dux efficitur: cuius progreſſus nos edocet, vt iuſtè moueamus ſpeculationem, & triplicem animæ facultatem: ſenſus in tuto conſeruat: quatuor etiam generales virtutes participio ſui auget quotidie. *Matth. 5. a*

2 Magnus ille legiſlator Moſes, imò verò ſpiritus ſanctus, dum huiuſce virtutis facultatem irreprehenſibilem, puram, capacem, & magnificam ſubindicat, inſtruens nos qua ratione ducendum ſit ab
» ea initium, atque complementum, At-
» tende tibi ipſi, ait, ne verbum fiat occultum: ſingularem appellans oſtentationem cuiuſdam rei prauæ Deo odioſæ, quam ſanè patres etiam nominant ſuggeſtionem, quæ cordi tuo obtruditur à diabolo. Quam ſtatim vt ſeſe exhibuerit menti, ſequuntur cogitationes noſtræ, & cum ea colloquia miſcent affectibus plena.

3 Temperantia, eſt via virtutum omnium, & mandatorum Dei. quæ quidem

etiam

etiam eſt cor, & quies : eadémque ad vacuitatem imaginationum perfectè redacta, mentis eſt cuſtodia.

4. Qui excæcatus eſt, non videt ſolis lumen : ita qui non ambulat temperanter, pretioſos gratiæ ſupernæ ſplendores nequit perſpicere : neque à malis & Deo odioſis operibus, ſermonibus, & cogitationibus liberabitur. Et is tempore exitus, nulla liberè euadendi ratione perpenſa, tartareorum principum manus non effugiet.

5. Attentio,eſt continua cordis requies, ab omnibus cogitationibus libera: quæ ſolum Ieſum Chriſtum Dei filium & Deum perpetuò ac ſine intermiſſione ſpirat& implorat, ſtat cum eo viriliter in acie aduerſus hoſtes, eíque confitetur, nempe qui poſſit remittere peccata. Cùm enim anima inuocationibus aſſiduis circumplectitur Chriſtum qui ſolus ſecretò ſcrutatur corda, omnémque dat operam, ne vlli hominum notæ ſint dulcedines ſuæ internique conflictus, nullo pacto improbus ille clàm nequitiam promouere poterit, & operationes optimas delere.

6. Temperantia, eſt perſeuerans cogitationum conſtantia : quando ſcilicet ſiſtuntur ipſæ pro foribus cordis,perſpicit & audit

audit illa quid dicant, quídve faciant furtim obrepentes cogitationes exitiales:quęnam etiam ſit forma, quæ à dæmonibus inſculpitur & imprimitur: ac per ſeipſam imaginationibus diſſoluere nititur animũ. Hæc enim diligenter exculta, ſi velimus, admodum ſcitè dos docent belli intellectualis experientiam.

7. Quando deſerimur à Deo, quando item occurrunt tentationes ad erudiendum aptæ, duplex ille metus attentionis magiſtram continuationem parere ſolet in mente hominis: qui prauarum cogitationum operúmque conatur obturare fontem. Vnde & deſertiones & inſperatæ à Deo tentationes ad emendationem vitæ noſtræ obueniunt nobis præcipuè, qui recreationem huius boni guſtauimus, & tamen negligimus. Continuatio verò gignit habitum: habitus autem naturalem quandam temperantiæ frequentiam: hæc tandem,pro qualitate rei,ſenſim producit contemplationem belli: quam excipit perſeuerans erga Ieſum precatio,ſuauis tranquillitas animi imaginationibus vacua,& ſtabilitas in Ieſu fundata.

8. Conſtans animus,qui Chriſtum inuocat aduerſus hoſtes, ad illúmque perfugit, eſt

eſt velut fera quædam à canibus non paucis circundata, quæ ſeipſam ex aduerſo collocat in tuto. Cùm autem procul mente præuideat hoſtium iuuiſibilium intellectuales inſidias, quia continenter aduerſum illos ſtat cum Ieſu pacifico, permanet illæſus ab illis.

9. Si præes, ac tibi datum eſt, vt aſſiſtas & ſpecteris horarum matutinarum tempore, conceſſum eſt vtique, vt ſis etiam ſpectator. Sin minus, vigila, & conſequeris.

10. Corpus maris conſiſtit in aquarum multitudine: compages autem & firmamentum ſobrietatis, abſtinentiæ, & profundiſſimæ quietis animæ, abyſſus item contemplationum tam † quàm arcanorum, exploratricis etiam humilitatis, rectitudinis ac dilectionis, eſt ſumma temperantia & deprecatio Ieſu Chriſti carens cogitationibus: ídque cum frequentibus ſuſpiriis & continuo labore, citra tamen offenſionem ſui.

» [a] 11. Non omnis qui dicit mihi, Domi-
» ne, Domine, intrabit in regnum cœlo-
» rum, inquit: ſed qui facit voluntatem
» patris mei. Voluntas autem patris eius
» hæc eſt, nēpe,[b] Qui diligitis Dominum,
odite

» odite mala. Accedentibus ergo precibus
» erga Ieſum Chriſtum , proſequamur
» odio cogitationes malas, & ecce,volun-
» tatem Dei fecimus.

[a] *Matt. 7. c.*
[b] *Pſal. 96. b*

12. Omnium virtutum typus , exemplar humani generis , ac numen inuocandum pro veteri lapſu , Dominus noſter ac Deus incarnatus , vt picturam viuam propoſuit nobis ſuam,quam in carne tranſegit,vitam, omni virtutum genere ſplendentem. Præter illa verò bona quæ nobis exhibuit, poſt baptiſmum ſuſceptum rediens in deſertum, cùm ieiunaſſet,pugnam intellectualem cœpit inire cum diabolo, illum, vt purum hominem aggrediente. Et ea vincendi ratione etiam nos inutiles ſeruos docuit Dominus, quo pacto confligendum ſit cum ſpiritibus nequitiæ , hoc eſt, in humilitate , ieiunio, precibus , & temperantia : qui tamen , vt Deus , ac Deorum Deus , talibus non habebat opus.

13. Quot autem,mea ſententia,ſint modi mentis expurgandæ,paulatim cogitationibus affectuum plenis , vt perueniatur ad temperantiam, iam indicare tibi non dubitabo , ſermone haudquaquam ornato aut

vario.

vario. Non enim, vt in hiſtoria bellica, ſtatui hac oratione ſub verborum lenociniis vtilitatem occultare, & maximè ſimplicioribus. Tu verò, fili Theodule, attende animum his quæ legis.

14. Vnus ergo modus temperantiæ comparandæ eſt, vt imaginationem crebrò perpendamus, obiectionem videlicet: eò quòd abſque imaginatione ſatanas nequeat moliri cogitationes, aut, fallendi gratia, menti proponere mendacia.

15. Alter verò, vt in profundo per omnia ſilentio, & quiete omni ſermone vacua, demerſum habeamus animum, ac precemur.

16. Alius, vt cum humilitate Ieſum in auxilium continenter inuocemus.

17 Quartus autem modus eſt, vt continuam in animo habeamus mortis memoriam.

18 Vniuerſæ operationes eiuſmodi, chariſſime, more ianitorum arcere ſolent prauas conceptiones. Quanti verò ſit momenti, cœlum intueri, & nihili facere terram, vnà cum reliquis, Deo donante facultatem dicendi, alio loco pleniùs exponam.

19. Si amputatis ad modicum tempus affectionum cauſis, ſtudere incipiamus

ſpirita

ſpiritalibus obſeruationibus, & in eis non immoremur, eandem nauantes operam, facilè denuo reuoluemur ad carnis affectus, nullum inde fructum alium referentes, quàm omnimodam obtenebrationem mentis, & ad res ſenſiles conuerſionem.

20. Eum qui ſuſtinet interiora certamina, eodem momento temporis, hiſce quatuor prædictū eſſe conuenit, humilitate, attentione ſumma, reluctatione, & precatione. Humilitate quidem, quoniam conflictus ille eſt aduerſus ſuperbos dæmonas, humilitatis aduerſarios, quò Chriſti auxilium in manu cordis habeat, cùm Dominus oderit ſuperbos. Attentione verò, vt ſuum ipſius animum cogitationibus, etiam velut bonitatis ſpeciem præ ſe ferentibus, immunem ſemper reddat. Reluctatione autem, vt cùm accedentem diligenti mentis acumine nouerit, mox excandeſcens contradicat illi nequam. Et reſpondebo, inquit, exprobrantibus mihi mala: Nónne Deo ſubiecta erit anima mea? Precatione autem, vt poſteaquam reſtiterit, confeſtim ex intimo corde vociferetur ad Chriſtum gemitu indicibili. Túmque is, qui modò certabat, videbit hoſtem cum illuſionibus ſuis, per nomen Ieſu ſanctum

&

& adorandum, velut puluerem à vento, aut fumi euaneſcentis inſtar, diſſolui.

[a] *Pſal.* 118. *f.*
[b] *Pſal.* 61. *a.*

21. Qui non eſt fretus precatione cogitationibus purgata, caret armis ad bellum aptis. Precationem dico, ſemper vigentem in penetralibus animæ: vt per inuocationem Ieſu Chriſti,& inteſtinum bellum caſtigetur, & hoſtis exuratur.

22 Debes equidem tu ſubtili & intenſo mentis intuitu perſpicere, vt intelligas ingredientes cogitationes. Vbi verò noris, ſtatim reſiſtendo conteras caput ſerpentis: vnáque ſuſpirans, Chriſtum inclamato. Et ita experiere diuinam & inuiſibilem defenſionem. Ac tum liquidò perſpicua fiet cordis rectitudo.

23. Quemadmodum is qui ſpeculum tenet in manu, ſi fortè conſiſtens in medio multorum, defixis oculis intueatur in ſpeculo,videt quidem quali ſit ipſe facie,videt etiam aliorum vultum in idem ſpeculum incumbentium: ita qui totus in cor ſuum incumbit, & ſuum ipſius ſtatum in eo conſpicit,& nigram ſpiritalium Æthiopum intuetur faciem.

24. Cæterùm mens per ſeipſam ſolam non poteſt ſuperare illuſionem Dęmonum: ne ſibi de eo nimium fidat. Nam cùm ſint verſuti, etiam vinci ſimulant, dum aliunde per inanem gloriam ſupplantant. Quando verò Ieſus inuocatur, ne ad horam quidem ſubſiſtere, aut fallere te poſſunt.

25. Obſerua, ne qua ducaris opinione more populi Iſraëlitici: & ita tradaris hoſtibus intellectualibus. Ille enim beneficio Dei omnium authoris liberatus ab Ægypto, ad opem ſibi ferendam excogitauit idolum conflatile.

26. Idolum conflatile intelliges, mentem noſtram infirmam: quæ quandiu quidem implorat Ieſum Chriſtum aduerſus nequitiæ ſpiritus, facilè profligat eos: & inuincibiles inimici copias militares arte ſubtili repulſat. Sin prorſus in ſeipſa fiduciam imprudenter collocet, velut auis quæ » dicitur ὀξύπτερος deturbabitur. [a] In Deo » inquit, ſperauit cor meum; & adiutus » ſum: & refloruit caro mea. Et, [b] Quis, » præter Dominum, conſurget mihi, aut ,, ſtabit mecum aduerſus innumeras cogi-,, tationes malignas? Qui verò ſibi ipſi, & non Deo, fidit, caſu ruet grauiſſimo.

[a] *Pſal. 27. c.* [b] *Pſal. 93. c.*

27. Is

27. Is eſt typus & ordo tranquillitatis animi, Si certare ſtatuiſti, imitandum tibi propone exiguum animalculum, araneam: ſin minùs, tranquillum, vt decet, nondum geris animum. Illa quidem minutas venatur muſcas. Quòd ſi tu, illius exemplo, labore quietem animæ comparare volueris, irremiſſè pueros interficies babylonicos. quo genere cædis diceris per Dauidem beatus à ſpiritu ſancto.

28. Quemadmodum fieri nequit, vt in firmamento ſitum inter aſtra conſpiciatur mare rubrum, & homo ſuper terram ambulans non reſpiret hunc aërem: Sic abſque frequenti Ieſu inuocatione, cor noſtrum purgare non poſſumus affectionũ ſtudioſis conceptibus, nec ab eo intellectuales hoſtes profligare.

29 Si cum humilitate, prudentia, mortíſque memoria, conqueſtione, contradictione, imploratione Ieſu Chriſti, continenter exercitia peragas in corde tuo, & per anguſtam quidem, ſed animæ iucundam atque delectabilem viam, his quotidie armis inſtructus, caſtè incedas ad ſanctas ſanctorum contemplationes peruenies & profunda myſteria tibi manifeſtabun-
„ tur à Chriſto, In quo ſunt omnes the-

„ ſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſcondi-
„ ti : [b] In quo habitat omnis plenitudo di-
„ uinitatis corporaliter. Senties enim ab Ieſu Chriſto inſilire in animam tuam ſpiritum ſanctum : per quem illuſtratur mens hominum, vt reuelata facie poſſit
„ intueri. [c] Nemo (inquit) dicit, Domi-
„ nus Ieſus, niſi in ſpiritu ſancto, confir-
„ mante ſcilicet myſticè eum qui quærit.

[a] *Coloſ.* 2.

[b] *Ibidem.*

[c] 1. *Cor.* 12. *a*

30. Iſtud porrò ſcire debent, qui diſcendi deſiderio tenentur, ſæpenumerò Dæmones inuidos celare nos, & ſubtrahere à nobis ſpiritale bellum : dum infeſti illi nobis inuident naſcentem ex eo bello fructũ, cognitionem, & aſcenſionem ad Deum: vt negligentibus nobis, mox repentè mentem eripiant, & ignauo animo quoſdam denuo efficiant. Perpetua enim illorum intentio & labor in eo conſiſtit, vt non ſinant nos cor noſtrum obſeruare: non ignari quantæ proueniant opes animæ, ex quotidiana obſeruatione. Nos verò tunc memores Domini noſtri Ieſu Chriſti, erigimur ad ſpiritales contemplationes, denuóque bellum inſurgit in animum: modò cum

cum conſilio, vt ita dicam, Domini ipſius, & humilitate non modica peragamus omnia.

31. Nos qui degimus in cœnobio, ſpontaneo propoſito & alacri animo debemus amputare omnem voluntatem noſtram, cùm Deus adſit Prælato. Abiecti etiam nosipſi quodam modo efficiamur, & voluntate carentes. Et hanc artem callere conuenit illis, ne bili perturbemur, & noſtram iraſcendi facultatem præter naturam & rationem moueamus, & ad committendum ſpiritale bellum in poſterum, reperiamur timidi. Voluntas enim noſtra à nobis vltrò non abſciſſa, excandeſcere ſolet in eos, qui vi illam à nobis amputare nituntur. Vnde ira perinota malè oblatrans, adimit belli notitiam, quam vix multo cum labore conſequi potuit. Ira ſiquidem natura facultatem habet interimendi: in cogitationes quidem diabolicas emota, perimit & diſſoluit eas: ſin contra homines, itidem cogitationes humanas in nobis delet. Itaque, vt video, ira quaſcunque corrumpit cogitationes, ſeu ſiniſtras, ſeu, ſi ita contingat, dexteras. Arma enim & tela nobis aduerſus Dæmones à Deo donata, niſi teneantur in vtriſ-

que, licet varium habeant effectum, perniciosa ſunt. Noui enim, canem, alioqui in lupos audacem, etiam oues interficere.

32. Perinde fugienda eſt ſecuritas, vt aſpidis venenum: & pleræque conuerſationes vitandæ, tanquam ſerpentes & viperarum fœtus: cùm hæc eam vim habeant, vt quamprimùm inducant in profundam interni belli obliuionem, & abducant animam à ſublimi lætitia, quam concipit ex puritate cordis. Quandoquidem animaduerſioni non aliter aduerſatur execranda obliuio, quàm aqua igni: qua hoſtis in ſingulas horas valde nititur. Quoniam ex obliuione dilabimur in negligentiam: à negligentia, in contemptum & ſocordiam ac deſideria abſurda: & ita denuo conuertimur ad quæ reliquimus à tergo, velut canis ad proprium vomitum. Quare fugiamus ſecuritatem, vt lethale venenum. Exitiale autem detrimentum obliuionis, & quæ ex ea naſcuntur, ſanat perdiligens cuſtodia mentis, & inuocatio Domini noſtri Ieſu Chriſti admodum aſſidua: quia ſine eo nihil poſſumus facere

33. Non ſolemus, nec poſſumus conciliari ſerpenti, & eum in ſinu geſtare: neque

que corpus variis blanditiis proſequi, delinire, & redamare, non adminiſtratis iis quæ neceſſaria ſunt & vtilia, ac virtutis itidem cœleſtis curam agere. Nam ille, vulnerare ſolet fouentem: hoc autem, inſeruientem voluptatibus inquinare. Idcirco, pro modo delicti, flagellis & pugnis cædatur acerrimè, velut ſeruus fugitiuus, muſto plenus, in dorſo flagellis obnoxio: ne dominum tractet vt cauponem: ne corruptibile lutum & ancilla obſcura ignoret dominam,& corruptionis expertem. Aduſque deceſſum, ne fidas carni tuæ. Sapien-
„ tia enim carnis,[a]inquit,inimica eſt Deo.
„ legi enim Dei nō eſt ſubiecta. [b] Et,Caro
„ concupiſcit aduerſus ſpiritum. [c]Qui au-
„ tem in carne ſunt, Deo placere non
„ poſſunt. Nos verò non ſumus in carne,
„ ſed in ſpiritu.

a *Rom.* 8.
b *Galat.* 5.
c *Rom.* 8.

34. Prudentiæ quidem officium eſt,iraſcendi vim iugiter torquere ad conflictum interioris pugnæ,& ad ſui conqueſtionem. Sapientiæ verò, mouere rationalem facultatem ad exactam temperantiam & continuam, necnon ad contemplationem ſpiri-

talem. Iuſtitiæ autem eſt, cupiditatem ad virtutem & Deum dirigere. Fortitudinis verò, quinque ſenſus moderari & continere: ne per ipſos maculetur interior homo noſter, quod eſt cor: néve exterior, quod eſt corpus.

„ 35. In Iſraële eſt magnificentia eius:
„ in animo vidente, [a] quoad fieri poteſt,
„ decorem gloriæ ipſius Dei. Et virtus
„ eius in nubibus: hoc eſt, in amicis ſplen-
„ dentibus, intentè intuentibus in auroram matutinam, hoc eſt, in eum qui ſedet in dextera patris, in illos, ſplendores emittens, veluti ſol ſuis radiis penetrans nubes mundas, quod amabile eſt, oſtendit.

[a] *Pſal. 67. d*

36. Cùm quis peccat, inquit ſcriptura diuina, perdet bona multa. Et mens quæ peccat, eſcas & potiones ambroſiæ, in antè ſcripto capitulo declaratas, perdit.

37. Non ſumus fortiores Samſone: non Salomone ſapientiores: non perſpicaciores in re diuina quàm Dauid: non diligimus Deum vehementiùs quàm Petrus Apoſtolorum princeps. Quamobrem non nobis
„ ipſi fidamus. Inquit enim ſcriptura, Qui
„ in ſeipſo confidit, ruet caſu grauiſſimo.

38. Diſcamus à Chriſto, de nobis humiliter

militer ſentire. Et à Dauide abiectionem: A Petro, flere ob caſus contingentes. Non tamen deſpondeamus animum, more Samſonis, Iudæ, & ſapientiſſimi Salomonis.

39. Diabolus enim rugiens, vt leo, obambulans quęrit cũ omnibus poteſtatibus ſuis, quem deuoret. Quapropter ne remittatur vnquam mentis obſeruatio, temperantia, reluctatio, & preces erga Deum noſtrum Ieſum Chriſtum. Nullum enim præſtantius auxilium in tota vita tua reperies, præterquam ab Ieſu. Solus enim ipſe Dominus nouit, vt Deus, verſutias, artificia, & dolos Dæmonum.

40. Confidat igitur anima in Chriſtum, & inuocet illum: & nullatenus extimeſcat. Non enim ſola dimicat, ſed ab Ieſu Chriſto rege tremendo adiuta: qui eſt creator omnium rerũ, corporearum & corpore carentium, viſibilium ſcilicet & inuiſibilium.

41. Quemadmodum pluuia quantò copioſiùs effunditur ſuper terram, tantò molliorem reddit illam: ita ſanctum Chriſti nomen à nobis inuocatum, exploſis cogitationbus, quantò frequentiùs ipſum inuocamus, tantò magis emollit terram cordis noſtri eámque gaudio & lætitia perfundit.

42. Cæterùm & hoc imperitos noſſe conuenit, rem nobis eſſe cum hoſtibus incorporeis, inuiſibilibus, malignis, ad affligendum callidis, velocibus, leuibus, belli peritis, ab annis Adæ ad hæc vſque tempora: qui nos craſſos, tam corpore quàm ſenſu, aggrauant in terram. Hos nulla alia ratione ſuperare poſſumus, quàm perpetua animi temperantia, & inuocatione Ieſu Chriſti Dei & creatoris noſtri. Rudibus itaque pro modo & præceptore optimo ſint hæc, deprecatio Ieſu Chriſti, & ad probandum & cognoſcendum quid rectum ſit, exhortatio. Peritis autem executio, experientia & requies, quæ ex recto & bono oritur.

43. Quemadmodum puer, paruulus ſcilicet & nullius capax malitiæ, vbi præſtigiatorem quempiam videt, lætatur, & ſua ſimplicitate ductus, illum imaginum effectorem ſectatur: Sic anima noſtra, cùm ſit ſimplex & bona, hunc in modum à ſuo bono Domino creata, delectatur illuſoriis ſuggeſtionibus Diaboli: & decepta, properans ad id quod deterius eſt, pro bono amplectitur: non aliter quàm columba eum qui ſuis ipſius pullis inſidiatur: & hoc pacto ſuas cogitatioues permiſcet cum illu-

ſione

ſione ſuggeſtionis diabolicæ. Si formoſæ mulieris facies occurrat, aut aliud quidpiã mandatis Chriſti planè prohibitum, cum illis quaſi quippiam artificioſum moliri deſiderat: vnde, quod ſibi viſum eſt pulchrum, ad effectum perducere poſſit: deinde vbi deuenerit ad conſenſum, iniquitatem intellectu ſibi repræſentatam, miniſterio corporis opere ipſo perficit, in ſuam ipſius condemnationem.

44. Ea eſt ars ſpiritus nequam, iiſque telis omnem venenat animam. Ideóque, ante quàm animus conflictu militari multam comparauerit experientiam, non eſt tutum ſinere vt ingrediantur cogitationes in cor noſtrum: ídque potiſſimùm initio, quando delectatur adhuc anima noſtra dæmoniacis ſuggeſtionibus, atque gaudet, & ſectatur eas. Quin huiuſmodi cogitationes ſunt potiùs attendendæ, ſtatímque amputandæ atque repellendæ vbi obiectæ fuerint. Cùm autem animus in eo admirando opere immoratus, exercitatus fuerit, intellexerit, & illæſum belli habitum acquiſierit, vt & verè pernoſcat eas, & (vt inquit propheta) vulpeculas facilè prẽhẽdere poſſit: tum ſcitè permittat eas introgredi, vt illas ope Chriſti expugnet, coarguat, &

captiuas abducat.

45. Quemadmodum per eundem canalem ignis & aqua ſimul tranſire nequeunt: ita fieri nequit, vt peccatum introeat in cor, niſi priùs fores cordis pulſauerit illuſione ſuggeſtionis prauæ.

46. Primo loco, eſt ſuggeſtio. Secundo, copulatio: nempe cùm cogitationes noſtræ permiſcentur cum malignis cogitationibus dæmonum. Tertio conſenſus: quo ſcilicet pacto ſe gerat anima inter vtraſque cogitationes malè conſultas. Quarto verò loco, eſt ipſa ſenſilis operatio, videlicet peccatum. Si ergo temperans animus attenderit, & repugnando, ac Dominum Ieſum inuocando, imaginationem ſuggeſtionis prauæ fugauerit & repulerit: quæ deinceps moliuntur, manent inutilia. Nam, cùm ſpiritus nequam ſit mens incorporea, non poteſt alia ratione ſeducere animas, quàm illuſionibus cogitationum. Porrò de ſug-
„ geſtione quidẽ ait Dauid, [a] In matutino
„ interficiebam. & quæ ſequuntur. Mag-
„ nus verò Moſes de conſenſu inquit, Et
„ non aſſentietur illis.

[a] *Pſal.* 100.*b*

47. Mens cum mente modo non aſpectabili pugnat: mens quippe Dæmonis cum mente noſtra. Quapropter ex intimo cordis

dis in ipſo pugnæ momento clamare debemus ad Chriſtum, vt dæmonis quidem mentem procul abigat, ac, velut perhumanus, victoriæ præmia donet.

48. Qui tenet ſpeculum, & ipſum fixis oculis intuetur, ſit tibi typus quietis cordis: túmque perſpicies, quæ intellectuali modo inſculpuntur in corde, bona & mala.

49. Vide perpetuò, ne vllam in corde conſerues cogitationem, ſeu irrationalem, ſeu rationi conſentaneam: vt hoc pacto facilè diſcernas alienigenas, filios nimirum primogenitos Ægyptiorum.

50. Quàm bona, delectabilis, ſuauis, ſplendida, præclara, venuſta & ſpecioſa virtus eſt temperantia: quæ à te, Chriſte Deus, dirigitur, & cum ſumma mentis humanæ humiliatione vigilanter deducitur? Extendit enim palmites ſuos vſque ad mare, & abyſſum ſpeculationum, & vſque ad flumina iucundorum ac diuinorum myſteriorum propagines ſuas: atque potu reficit animum iamdudum impietate æſtuantem, præ ſalſugine tum prauarum cogitationum à dæmonibus inuectarum, tum hoſtilis (quæ mors eſt) prudentiæ carnis.

51. Temperantia perſimilis eſt ſcalæ Iacob, cui Deus inſidet, & qua aſcendunt

Angeli.

angeli. Tollit enim à nobis omne vitium. Nam amputat ipſa loquacitatem, conuicium, detractionem, omnium denique vitiorum ſenſilium catalogum, quæ idcirco ne tantiſper quidem ferre poteſt, vt ſuauitate propria careat.

52. Huiuſce, Fratres, alacri animo deſideremus eſſe participes? ac in ſpeculationibus eius puro corde cum Chriſto Ieſu volantes; diſcutiamus peccatorũ noſtrorum & priſtinę vitæ rationem: vt peccatorum noſtrorum recordatione contriti & humiliati, indiuulſo à nobis Domini noſtri Ieſu Chriſti potiamur auxilio, ad bellum inuiſibile peragendum. Ope ſiquidem Ieſu deſtituti, per arrogantiam, humanum amorem, aut vanam gloriam, priuati ſumus cordis puritate, qua innoteſcit homini Deus. Prius enim, vt ipſe pollicetur, eſt cauſa ſecundi.

53. Animus qui in ſeipſo excolendo interiorem operationem non negligit, præter reliqua bona, quæ ex continua actionis obſeruatione conſequetur, etiam quinque ſenſus corporis externis vitiis vacuos oſtẽdet. Qui enim propriam virtutem ac temperantiam planè curat, & præclaris delectatur conſiliis, non ſinit occupari quinque ſenſibus acceſſu craſſarum vanarúmque cogitatio

gitationum : ſed harum inſidias cùm norit, intra ſeipſum ſummoperè cohibet eas.

54. In eadem permane ſententia, & in tentationibus non laborabis, à qua ſi recedas, tolera quæ occurrerint.

55. Quemadmodum amarum abſinthium iuuat eos qui cibos faſtidiunt : ita malè moratis hominibus vtile eſt, vt patiantur aduerſa.

56. Niſi ſtatueris aduerſa perpeti, ne decernas bene agere : cùm hoc ex illo perpetuò ſequatur. Quod enim quiſque ſeminat, hoc etiam metet. Proinde, ſi quæ ſponte ſeminamus mala, inuiti metimus, iuſtitiam diuinam admirari debemus.

57. Hi tres affectus excæcant animum: auaritia, inquam, vana gloria, & voluptas.

58. Nulla alia re, quàm his, cognitio & fides, quæ collactaneæ ſunt naturæ noſtræ, profligantur.

59. Furor, ira, bella, cædes, & reliquus malorum vniuerſus catalogus, illarum vi vehementer inualuerunt inter homines.

60. Qui non nouit veritatem, nec verè credere poteſt: quia notio natura præcedit fidem. Eloquia ſiquidem ſcripturæ non vt intelligamus duntaxat ſcripta ſunt, ſed vt ea

opere

opere compleamus.

61. Ducamus igitur initium ab opere, hac enim ratione deinceps proficientes, reperiemus, non modò ſpem in Deum, ſed etiam firmam fidem, notitiam interiorem, liberationem à tentationibus, chariſmatum dona, cordis confeſſionem, & aſſiduas lachrymas, precationis beneficio fidelibus accedere. Neque verò hæc ſolùm, ſed etiam accidentium tribulationum tolerantiā, ſinceram, quæ fit proximo, remiſſionem, cognitionem legis ſpiritualis, iuſtitiæ diuinæ adeptionem, aduentum ſancti ſpiritus, ſpiritalium theſaurorum largitionem, & cuncta quæ pollicitus eſt Deus ſe donaturum fidelibus hominibus, tum in hoc, tum in futuro ſæculo. Et vt in ſumma dicam, non poteſt anima præ ſe ferre imaginem Dei, niſi gratuito Dei munere, ac fide hominis ex animo perſeuerantis in ſumma humilitate, & non hæſitante precatione.

62. Ingens profectò bonum eſt, ſicuti experientia accepimus, vt qui ſuum ipſius cor expurgare deſiderat, continenter inuocet Dominum Ieſum aduerſus hoſtes ſpiritales. Animaduerte, quantum id, quod facto periculo dixi, conſonet cum teſtimoniis ſcripturæ. Præpara te, inquit, Iſraël, ad inuocandum

dum nomen Domini Dei tui. Et Apoſtolus,[a] Sine intermiſſione orate. Ac Dominus noſter inquit,[b] Sine me nihil poteſtis facere. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Et iterum.[c] Si quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes. Bonum ingens eſt oratio, bonum inquam, quod etiam omnia procurat: & emundat cor, in quo ſpectatur Deus à fidelibus.

[a] 1. *Theſſ.* 5. *c*

[b] *Ioann.* 15. *a*

[c] *Ibidem.*

63. Humilitatis bonum, cùm habeat vim exaltandi naturâ ſuâ, Deóque ſit gratiſſimum, quod etiam omnia propemodum vitia, & quæ Deo ſunt odioſa, in nobis abſumat, propterea non facilè comparari ſolet. Itaque in vno eodémque homine, non difficile eſt reperire particulares quaſdam multarum aliarum virtutum actiones: in eo verò ſi quæras humiliationis odoratum, vix reperies. Quamobrem temperantia non modica opus eſt, ad hoc bonum conſequendum. Etenim vel diabolum ſcriptura dicit immundum, quoniam ab initio hoc ipſum humilitatis bonum repulit, & ſuperbiam adamauit: propterea denominatur in vniuerſa ſcriptura ſpiritus immundus. Quam enim

enim immunditiam corpoream perpetrare queat, id quod corporis & carnis eſt penitus expers, nec vllo loco ſitum eſt, & ſanguine caret, qualis initio & nunc eſt ſatanas, vt ex his dicatur immundus? Perſpicuum eſt, eum ſuperbiæ cauſa appellatum eſſe immundum: & ex puro & lucido angelo, inquinatus & impurus declaratus eſt. Quinetiam apud Dominum, quicunque ſuperbo eſt corde, immundus habetur. Pri-
„ mum enim peccatum, inquit, eſt ſuperbia.
„ Et hunc etiam in modum ſuperbus Pha-
„ rao dicebat, [a] Deum tuum (inquit) non
„ noui, & Iſraël non dimittam.

[a] *Exod. 5. a*

64. Sunt autem permultæ mentis actiones, quæ nos iuuare poſſunt ad vendicandum illud præclarum h militatis donum, modò ſoliciti ſimus de ſalute noſtra: verbi gratia, recordatio peccatorum, quæ verbis, operibus, & cogitatione contrahimus: & alia plurima, quæ ſpeculando colligi poſſunt, perutilia ſunt nobis ad humilitatem. Necnon illud veram humilitatem parit, ſi quis res quæ quotidie proſperè geruntur, à proximis, inter quos verſatur, & alia quæ natura ſuppeditat eis, poſſeſſiones item, apud ſeipſum magnificaciat: rerúmque

rúmque ad eos pertinentium cum ſuis collatione facta, ita contempletur animo ſuam exilitatem, & quàm longè abſit ab eorum perfectione, terram ac cinerem ſeipſum exiſtimet, & non hominem, ſed canem quendam: velut cunctorum qui in terra degunt hominum rationalium in omni genere infimum & poſtremum.

65. Os Chriſti, columna Eccleſiæ magnus pater noſter Baſilius ait, valde conferre „ ad vitandum peccatum, & vt poſtera die „ in eadem crimina non dilabamur, ſi pera„cto quoque die nóſipſos noſtráque exa„minemus in conſcientia noſtra: quid de„liquimus, quídue boni operis édidimus. Id etiam Iob faciebat, tam ſua, quàm filiorum cauſa. Quæ enim quotidie ratione ſubducuntur, declarant quid hora quaque geſtum ſit, ac gerendum. Rurſum ille ipſe „ Baſilius dicit, modum omnem eſſe op„timum.

66. Denuo alius è peritis rerum diuina„rum inquit, Initium fertilitatis, eſt flos: „ & principium rerum agendarum, eſt con„tinentia. Continentes igitur ſimus: idque cum modo & ſtatera, ſicuti patres docent: totámque diem duodecim horarum in conſeruando animo tranſigamus. Ita enim

agen

agentes, poterimus, Deo præeunte, vi quadam imminuere vitium & extinguere. Violenta, ſiquidem eſt conuerſatio virtutibus dedita: quâ regnum cælorum donatur.

67. Via quæ ducit ad cognitionem, eſt vacuitas affectionum, & hmilitas: ſine quibus nemo videbit Dominum.

68. Qui aſſiduè dat operam rebus internis; is prudens eſt. Neque verò id tantùm: ſed & contemplationi & theologiæ ſtudet & precationi. Iſtúdque eſt quod ait Apo- „ ſtolus,[a] Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis.

[a] *Galat. 5. c*

69. Qui viam ſpiritalem conficere neſcit, non curat cogitationes affectibus deditas, ſed totus de carne ſolicitus eſt: & aut crapulatur & intemperantiam exercet, aut angitur & indignatur, ac iniurias in memoriam reuocat, vnde mentem tenebris obruit, aut exercitatione immodica vtitur, & inquinat animum.

70. Qui rebus abrenuntiauit, exempli gratia, vxori, poſſeſſionibus, & reliquis, exteriorem hominem fecit monachum, nondum autem & interiorem. Qui verò cogitationibus iſta affectantibus renuntiauit, interiorem hominem, nimirum animum, reddi

reddidit monachum. Et exteriorem quidem hominem, modò libeat, facilè poteſt quiſpiam monachum efficere: atqui non eſt exigui operis, internnm hominem facere monachum.

71. Quis porrò generationis huius, qui cogitationibus affectionum ſtudioſis planè liberatus, puræ per omnia defecatæque orationis dignitatem adipiſci meruit? quod quidem ſignum eſt interni monachi.

72 Affectiones non paucæ latent in animis noſtris: quæ tum deprehenduntur, cùm emerſerint earum cauſæ.

73. Ne colloces omnem operam tuam in carne curanda: ſed ſtato tempore pro viribus eam exerceto, atque animum tuum „ penitùs ad interiora conuerte.[a] Corpora- „ lis enim exercitatio ad modicum vtilis „ eſt: pietas autem ad omnia vtilis eſt.

[a] 1. *Tim.* 4. *b*

74. Vbi ceſſant affectus impetere, tum oboritur arrogantia, vel ob id, quòd non amputantur cauſæ, vel eò quòd inſidioſè ſubrepunt dæmones.

75. Humilitas & afflictio liberant hominem omni peccato: cùm illa quidem reſcindat affectiones animi: iſta verò, corporis

„ ris. Propterea Dominus ait, Beati mundo „ corde, quoniam ipſi Deum videbunt : ipſum inquam, & theſauros in eo reconditos: quando per charitatem & continentiam ſeipſos emundauerint. Tantóque pleniùs videbunt, quantò ſe purgauerint accuratiùs.

[a] *Matth.* 5. *a*

76. Sermonum, qui de quacunque virtute habentur, intentio eſt, vt integer ſeruetur animus : ſicut antiquus Dauidis ſcopus circuncißionem cordis præſignabat.

77. Vt in ſenſibus, cùm ea videmus quæ offendunt, lædimur : ita circa animum accidit.

78. Quemadmodum qui cor alicuius plantę vulnerauit, illam prorſus aridam reddidit : ita de cordé humano debes intelligere, & punctum ipſum animaduertere, quandoquidem fures nuſquam quieſcunt.

79. Cùm vellet Dominus oſtendere, nos ad omnia mandata peragenda teneri : filiorum autem adoptionem eſſe proprio ſan„ guine donatá hominibus, ait,[a] Cùm fece„ ritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, di„ cite, Serui inutiles ſumus : quod debui„ mus facere, fecimus. Ea de cauſa regnum cælorum non eſt merces operum, ſed gratia Domi

Domini, fidelibus ſeruis præparata. Non poſtulat ſeruus libertatem, veluti mercedem: ſed gratias agit, vt debitor, & velut gratuitum munus excipit.

[a] *Luc.* 17. *c*

80. Nam mortuus eſt pro peccatis noſtris, ſecundum ſcripturas: ac bene ſeruientibus ei, libertatem gratuitò largitur. In-
„ quit enim,[a] Euge ſerue bone & fidelis: ſu-
„ pra pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te
„ conſtituam: intra in gaudium domini
„ tui. At nondum eſt fidelis ſeruus, qui de nuda cognitione gloriatur: ſed qui obtemperans præcipienti Chriſto, credit, & proſequens honore Dominum, illius iuſſa peragit. Qui autem errat, & non paret, caſus velut peculiares ferre cogitur. Quocirca, diſcendi & operandi ſtudioſus eſto: quia nuda cognitio inflare ſolet hominem.

[a] *Matth.* 5. *b*

81. Tentationes, quæ nobis ex inſperato contingunt, diſpenſatione diuina nos docent, in continuo labore verſari debere.

82. Stellæ proprietas, eſt lumen quo ambitur: pij verò ac Deum timentis viri proprietas, eſt ſimplicitas & humilitas. Nullum eſt enim aliud quoduis manifeſtius ac certius ſignum diſcipulorum Chriſti, quàm

hu milis

humilis de ſe exiſtimatio, & ſimplex habitus. Et hoc inclamant omnia quatuor Euangelia. Qui verò in ea ſimplicitate vitam non agit, eo priuatur beneficio, vt ſponte ſe humiliare poſſit, vſque ad crucem & mortem perferendam. Quinetiam ipſo diuinorum Euangeliorum legiſlatore priuatur: qui ſanciuit, nunquam non operandum eſſe.

„ 83.[a] Sitientes (inquit) venite ad aquam. At qui ſititis Deum, accedite, cum puritate cordis. Veruntamen neceſſe eſt, eum qui huius puritatis ope volat in altum, etiam in terram ſuæ ipſius ſimplicitatis intueri: quia nemo humili viro ſublimior. Vt enim abſente lumine, caliginoſa & tenebroſa ſunt omnia: ita ſi deſit humilitas, omnia ſtudia noſtra, quæ in Deo colendo impendimus, vana ſunt & friuola.

[a] *Eſa. 55. a*

84. Vniuerſum ſermonis finem audi, [a]Deum time, & mandata eius ſerua: tam animo quàm ſenſibus. Nam vbi coëgeris animo teipſum ad ea ſeruanda, impingens in ſenſus tuos, indigebis interdum illis: cùm
„ Dauid dicat, [b]Volui voluntatem tuam &
„ legem tuam facere, in medio ventris mei. Niſi in medio ventris, hoc eſt, in medio

corde

corde, voluntatem ac legem Dei impleat homo, nec exterius hoc facilè poterit efficere. Conueniet itaque Deum intemperans & vagus homo, his verbis, Viam tuam ſcire nolo: vtique ob defectum illuſtrationis diuinæ. Cuius quidem qui particeps eſt, non eſt incertus, ſed illigatus & impeditus euadet abundè, circa res diuinas.

[a] *Eccl.* 12. *d*

[b] *Pſal.* 39.

85. Quomodo ſal iſtud ſenſile condire ſolet panem, & omnem eſcam, carnes item quaſdam, & quæ duratura ſunt, conſeruat à putredine, omnémque malum fugat odorem: hunc etiam in modum ſentire debes de conſeruatione mentis, ſuauitate animi, & admiranda eius efficacia. Suauem enim diuinitus reddit hominem, tam internum, quàm externum: & prauarum cogitationum pædore profligato, perſeuerans in rebus honeſtis, nos conſeruat.

86. E ſuggeſtione cogitationes oriuntur immodicæ: ex his porrò erumpunt exteriùs actiones improbæ. Cæterùm qui diuino adiutus auxilio, confeſtim primum extinxerit, reliqua effugiet: ſuauémque rerum diuinarum aſſequetur cumulatè notitiam, qua Deum vbique adeſſe ſentiet.

In eo verò ſpeculum mentis ex reuerberatione continenter illuſtratur, non aliter quàm vitrum mundum à ſole ſenſibili. Et tum quieſcit animus ab omni alia, quamcunque conceperat, ſpeculatione: velut occurrens ſcopo omnium bonorum deſideratiſſimo.

87. Cùm omnis cogitatio ex imaginatione rerum quarundam ſenſilium oriatur in corde: tunc beatum diuinitatis lumen illuſtrabit hominem, cùm omnia prorſus pacata reddiderit, & huiuſmodi formarum expers apparuerit: ſi verum eſt ſplendorem illum puræ menti perſpicuum eſſe, conceptionum omnium priuatione.

88. Quanto accuratiùs obſeruaueris cogitationes animi tui, tanto maiore cum deſiderio Ieſum precaberis. Et contrà, quãto negligentiùs eas ſcrutatus fueris, tanto longiùs ab Ieſu receſſeris. Et quemadmodum prius illud aërem mentis mirum in modum illuſtrat: ita, ſi quis temperantia deſtituatur, & ſuaui Ieſu inuocatione, tenebris prorſus obducetur. Et rem huiuſmodi ſic natura ſe habere vt diximus, & non aliter, experientia diſces, cùm facto ipſo tentaueris: cùm ea virtus iucunda illuminandi facultate prædita, non aliter

per

percipi ſoleat, quàm experientia.

89. Implorare Ieſum aſſiduis precibus, cum deſiderio quodam ſuauitatis & lætitiæ pleno, reddit mentis aërem plenum gaudio & tranquillitate, ob ſummam ſui obſeruationem. Vt autem animus penitùs mundetur, cauſa eſt Ieſus Chriſtus filius Dei, & Deus, omnium bonorum author & effector.[a] Ego enim, inquit, Deus faciens pace.

[a] *Eſa.* 45.

90. Anima, quæ beneficiis & dulcedine affecta eſt ab Ieſu, cum exultatione quadam & charitate, per confeſſionem, eum qui beneficia contulit, remunerat: tam gratias agendo, quàm inuocãdo cum voluptate animi placatorem ſuum: vel eo tempore, quo videt eum, in medio diſſoluentem, intellectuali ratione, illuſiones ſpirituum nequitiæ.

91. Et deſpexit, inquit[b] Dauid, oculus meus intellectualis inimicos meos ſpiritales: & inſurgentibus in me audiet auris mea. Et retributionem peccatorum in me à Deo fieri videbam.

[b] *Pſal.* 91.*b*

92. Si nullæ fuerint in mente illuſiones, in ſuo naturali ſtatu permanet animus, paratus inclinare in omnem delectabilem

ſpiritalem, & Deo gratam contemplationem.

93. Hac ergo ratione, vt dixi, temperantia & deprecatio Ieſu ſeſe naturâ mutuò ſtabilire ſolent. Summa enim obſeruatio, continuam promouet precationem: precatio rurſum, procuratrix eſt ſummæ temperantiæ & obſeruationis cogitationum.

94. Optimus corporis & animæ pædadagogus eſt, indelebilis memoria mortis: &, iis quæ ante oculos iacent, omnino prætermiſſis, continenter cubile præuidere, in quo poſthac cum refrigerio requieſcere poſſimus.

95. Non debet, Fratres, amplecti ſomnum, qui perpetuò vult illæſus manere. Itaque neceſſe eſt alterum duorum, aut ſpoliatum virtutibus occumbere & perire, aut mente ſemper armata conſiſtere: quia nunquam non adſtat hoſtis, ſtipatus exercitu ſuo.

96. Status quidam diuinus naſcitur in animo noſtro ex continua Domini noſtri memoria, & aſſidua eius inuocatione: modò ſoliciti ſimus de frequentibus animi precibus erga Chriſtum, crebris ieiuniis, & operibus principatum tenentibus: re-

vera

vera, opere ipſo, quod in inuocatione Domini noſtri Ieſu Chriſti coſiſtit, ſemper & eodem modo peragendo præditi ſimus, accenſo corde exclamantes, vt ſancti nominis Ieſu poſſimus eſſe participes. Aſſiduitas enim, ſiue in virtute, ſiue in vitio, mater eſt habitus: habitus autem, velut natura, cætera obtinet. In eo itaque ſtatu collocatus animus, hoſtes inquirit, vt canis Laconicus in ſyluis leporem. ad hunc enim modum mens ſcrutatur peruerſas cogitationes: ſed ille quidem, vt comedat: hæc autem, vt labefactet.

97. Quandocunque & quotieſcunque contigerit, vt augeatur in nobis numerus prauarum cogitationum, interiiciamus in medium earum implorationem Domini noſtri Ieſu Chriſti: túmque mox eas, inſtar fumi in aëre, videbimus euaneſcere: ſicuti docuit experientia. Et ſi mens ſola comprehendatur ab illis, denuo reſumamus initium continentis obſeruationis & inuocationis. Quoties itaque tali quodam periculo rurſum vexabimur, hoc ipſum agamus.

98. Quemadmodum fieri non poteſt, vt quis nudo corpore deſcendens in prælium, victor euadat, aut cum indumentis

in immenſo pelago natet, aut viuat ſine reſpiratione: ita fieri non poteſt, vt citra humilitatem & continuam Chriſti ſupplicationem, ſpiritale & ſecretum bellum ediſcamus, & artificiosè cogitationes illas expellamus & cædamus.

99. Magnus Dauid, rerum gerendarum peritiſſimus, Dominum alloquens, ait,[a] Fortitudinem meam ad te cuſtodiam. Ita vt tota vis quietis ſpiritalis animi noſtri, vnde naſcuntur omnes virtutes, conſeruetur auxilio Domini: qui & præcepta dedit, & impuram obliuionem à nobis expellit, & à continenter inclamantibus ignauiam, quæ tranquillitatem mentis non aliter corrumpit, quàm aqua ignem. Quamobrem, monache, ne dormias in mortem præ negligentia, ſed nomine Ieſu percute hoſtes: &, vt quidam ſapiens dixit, adhæreat nomen Ieſu ſpiraculo tuo & vniuerſæ vitæ tuæ: iámque cognoſces requietis fructum.

[a] *Pſal.* 58. *b*

100. Quando nos, qui alioqui indigni ſumus, ad diuina & impoluta myſteria Chriſti, Dei ſummi, & extimeſcendi regis noſtri, non ſine horrore admittimur, tunc maiorem & accuratiorem temperantiam & mentis cuſtodiam demonſtrare debemus: vt

vt ignis diuinus, nempe corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, peccata noſtra, & tam magnas quàm exiguas ſordes abſumat. Nã illud, ſtatim vt ingreditur in nos, expellit è corde improbos ſpiritus nequitiæ, peccata in nobis oborta condonat: & relinquitur animus prauarum cogitationum perturbatione vacuus. Necnon ſi poſtea, ſtantes ad fores cordis noſtri, diligenter animum conſeruauerimus, quando rurſum ad ea myſteria accedimus, corpus diuinum maiore adhuc, maiore inquam, ſplandore mentem perfundit, & ſtellæ ſimilem reddit.

CENTVRIA SECVNDA.

I.

OBLIVIO delere ſolet mentis cuſtodiam, ſicut aqua extinguit ignem. Continua verò erga Ieſum precatio, vehementi iuncta temperantiæ, tandem abſordet illam è mente. Eget enim oratio temperantia, non aliter quàm lampas exigua lumine lucernæ.

2. Elaborandũ eſt, in aſſeruandis iis quæ sũt pretioſa: pretioſa porrò re vera ſunt, quę

nos conſeruant ab omni vitio, tam corporis quàm animæ; & ſunt iſta, Cuſtodia mentis, ſecum habens annexam inuocationem Ieſu Chriſti, profunda cordis ſemper intueri, animum perpetuò, vt ita dicam, fluctuantem tranquillum reddere, etiam ab iis cogitationibus quæ rectæ videntur: dare operam, vt cogitationibus libenter careamus, ne fures nos lateant. Et quamuis laborioſum ſit, in conſeruando corde permanere, at proxima eſt conſolatio.

3. Mens enim quæ ſine intermiſſione cuſtoditur, & tamen ei conceditur excipere formas, imagines & illuſiones obſcurorum & prauorum ſpirituum, ſolet ex iis ipſis cogitationes lucidas cócipere. Nam vt carbo flammam producit, multo magis Deus habitans in corde, ex ſancto baptiſmate, ſi reperiat aërem intellectus noſtri purum à ſpiritibus nequitiæ, ſub cuſtodia mentis aſſeruatum, accendet intellectiuam animi noſtri facultatem ad contemplationem, perinde vt flamma ceram.

4. Quemadmodum imminente pluuia fulgur volutatur in aëre firmamenti: ita neceſſe eſt nomen Ieſu Chriſti perpetuò verſari in aréa cordis noſtri: quod exactè norunt, qui mentis & interni belli pericu

riculum fecerunt. Sic bellum intellectuale gerimus, vt in acie. Primùm, attentione vtimur. Deinde, vbi hoſtem cogitatione ferire nouimus, ipſum verbis maledictionis in animo iracundè cædimus. Tertio mox ordine, cor ipſum contorquentes, inuocato Ieſu Chriſto, imprecamur ei vt quãprimùm diſſoluatur effigies dæmonis: ne mens ſectatur imaginationem, more pueri, qui ſeducitur ab illuſore quopiam.

5. Elaboremus, Dauidis in morem vo-
„ ciferantes, Ieſu Chriſte,[a] ne irraucescant
„ fauces noſtræ: néve deficiant intelle-
„ ctuales oculi noſtri, dum ſperamus in
„ Domino Deo noſtro: memores ſemper
„ dictæ à Domino parabolæ, de iudice iniquitatis: quæ innuit, ſemper nos precari debere, & non fatigari, lucrum inde conſecuturos, & vindictam.

[a] *Pſal.* 68.

6. Vt qui intentis oculis ſolem intuetur, non poteſt viſum abundè illuſtratum non habere: ita qui ſemper incumbit in aërem cordis ſui, non poteſt non illuſtrari.

7. Quemadmodum abſque cibo potúque vitam hanc viuere non poſſumus: ita, ſi deſit conſeruatio mentis, & puritas cordis, quæ eſt & dicitur temperantia, non poteſt

ad rem vllam anima ſpiritalem & Deo gratam peruenire, aut animi peccato liberari: etiamſi metu pœnarum ſibi vim quis inferat, ad vitandum peccatum.

8. Veruntamen & qui vi quadam abſtinent à perpetrando peccato, beati cenſentur apud Deum, Angelos, & homines: quia violenti, raptores eſſe regni cœlorum inueniuntur.

9. Inter commoda quæ referuntur ex tranquillitate animi, hoc mirum eſt, quòd omnia peccata priùs cogitationibus duntaxat pulſant animum: à quo ſi recipiantur, ſenſilia fiunt & craſſa. Virtus autem operandi ſtudioſa, promouente & opem ferente Domino noſtro Ieſu Chriſto, abſcindit vniuerſa peccata in homine noſtro interno, ne ſinat ea deduci in opera praua.

10. Vetus teſtamentum eſt imago externæ, ſenſibilis & corporeæ exercitationis. Sanctum autem Euangelium, quod eſt nouum teſtamentum, imago eſt attētionis ſiue puritatis cordis. Et quemadmodum vetus illud interiorem hominem perfectum & certiorem non faciebat in cultu diuino (Ne-,, minem enim,[a] inquit Apoſtolus, ad per-,, fectum adduxit lex) ſed ſola craſſiora peccata prohibebat (Nam cogitationes cordis

& pra

& prauas animi conceptiones amputare, quod eſt præceptum euangelicum,præſtantius quiddam eſt ad munditiam animæ, quàm vetare, ne quis eruat oculum, aut dentem proximi.) Eodem modo & in externa iuſtitia & exercitatione,ieiunio videlicet,continentia,cùm dormitur humi,vigiliis,quiete,& reliquis quæ circa corpus verſantur,& partem corporis affectibus obnoxiam componunt,ne peccatum in opus externum erumpat, vt de veteri teſtamento diximus. Quanquam & hæc quidem bona ſunt. Erudiunt enim exteriorem noſtrum hominem, & tuentur ab externis vitiis in actum prorumpentibus: non tamen animi peccata coercent: cuiuſmodi eſt, liberare nos prorſus,opitulante Deo,ab inuidia,ira, & reliquis affectibus. [a] *Hebr. 7. c.*

11. Cordis autem puritas, conſeruatio ſcilicet & cuſtodia mentis, cuius typus eſt nouum teſtamentum, ſi adſeruetur à nobis, vt decet, affectiones omnes & vniuerſa vitia è corde radicitus amputat: & contra introducit lætitiam, bonam fiduciam, compunctionem, luctum, lachrymas, noſtri ipſorum ac peccatorum noſtrorum notitiam, memoriam mortis, veram humilitatem,dilectionem ingentem tam erga Deum quàm

erga homines, & inhærentem cordi diuinum amorem.

12. Sicut is qui facit iter in terra, non poteſt aerem iuſtum non diuidere: ita fieri non poteſt, vt cor humanum perpetuò non impugnetur à dæmonibus, aut clam torqueatur ab illis, etiam ſi frequenti occupetur exercitio corporali.

13. Si velis in Domino, non opinione ſolùm, eſſe monachus bonus, æquus, & Deo ſemper vnitus, ſed re vera & facto ipſo talis eſſe deſideras, ſectare pro viribus attentionis virtutem, quæ eſt cuſtodia & conſeruatio mentis, conſummatio ſuauitatis ipſius cordis, requies illuſionibus vacua, beatus animæ ſtatus, res quæ apud paucos reperitur.

14. Hæc dicuntur menti philoſophiæ deditæ. Et illud, Perge hac via cum multa tribulatione: & ardenti deſiderio, cum humili & crebra Ieſu Chriſti deprecatione, cum ſilentio labiorum tam ſenſilium quàm intellectualium, cum abſtinentia cibi & potus, rerúmque omnium obnoxiarum peccato. Perge hac, duce intellectu, ſcitè & prudenter. Et hæc, iuuante Deo, te docebit, perſpicuum faciet, illuſtrabit, intelligere faciet, conſeruabit, & erudiet, quæ priùs animo

mo conſequi non poteras, dum ambulares in tenebris affectionum, & abyſſo obliuionis & confuſionis inuolutus, quid ſit opus tenebrarum ignorares.

15. Quemadmodum valles copioſius præbent frumentum: ita hæc via omne bonum augebit in corde tuo: imò potiùs Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſine quo nihil poſſumus facere, ſuppeditabit hæc tibi. Et hanc ſcalam primùm reperies: deinde librum, qui legi ſolet: poſtea cùm profeceris, ciuitatem ipſam Ieruſalem cœleſtem inuenies, Chriſtúmque regem virium Iſraelis intellectu manifeſtè conſpicies.

16. Dæmones ſemper illuſione & mendacio nos inducunt ad peccandum. Nam per illuſionem, auaritia & lucrum miſerum Iudam ſeduxerunt, vt proderet Dominum & Deum omnium. Mendacio verò, dum recreatione corporea nullius momenti, honore, quæſtu, & gloria propoſitis, illum ſtrangulatione deturbarunt: & infœlices pro ſua ipſorum illuſione, ſuggeſtionem dico prorſus contrarium ei rependentes, mortem æternam illi conciliarunt.

17. Vide, quo pacto hoſtes ſalutis noſtræ illuſione, mendacio, vaníſque pollicitationibus, labi nos faciunt. Eundem in modum etiam

etiam ipſe ſatan à ſuis elationibus, inſtar fulguris, effractus eſt, cùm ſe Deo æqualem imaginaretur. Eadem rurſum ratione Adam defecit à Deo: cum maieſtatem diuinam imaginatione quadam ſibi arrogare vellet. Et ita mendax & doloſus hoſtis omnes, qui peccant, circumuenire ſolet.

18. A veneno cogitationum peruerſarum exacerbamur animo, quando attentione, Ieſúque deprecatione diu neglectis, nos abducit obliuio. Contrà verò dulceſcimus, ex perceptione & ſuauitate quadam beatæ exultationis, quando conſtanter, alacriter, & ſtudiosè in officina mentis, amore diuino ducti, iſta, quæ antè diximus, exequimur. Tunc enim nullam aliam ob cauſam quieto corde viuere exoptamus, quàm ob ſuauem illius in anima voluptatem & delectationem.

19. Ars artium, & ſcientia ſcientiarum, eſt ars malignarum cogitationum. Modus igitur optimus & ars earum eſt, conſpecta, Domino fauente, ſuggeſtionis maginatione, conſeruare animum: ſicuti ſenſibilem oculum cuſtodimus, & eo acutè videmus caſu venientem ad percutiendum illum, ac pro viribus ab eo feſtucam omnem arcemus.

20. Quem

20. Quemadmodum nix non pariet flammam, nec aqua producet ignem, aut ſpina ficum: ita cor cuiuſuis hominis, niſi purgauerit interiora, non liberabitur dæmoniacis cogitationibus, operibus, & ſermonibus: niſi etiam attentio, iuncta deprecationi Ieſu, accendat temperantiam, qua humilitatem & quietem animi dirigente, cor deducatur, & valde alacriter incedat. Sed neceſſariò euadet anima, quæ non attendit, ſterilis totius boni & intelligentiæ perfectæ, perinde ac mulus inutilis, cui non eſt intellectus ſapientiæ ſpiritalis. Profectò pax eſt ſuauitas animæ, tam re, quam nomine, & euacuatio cogitationum deditarum affectionibus.

21. Quando vitiosè concordat anima cum corpore, tunc ambo conſtruunt ciuitatem vanæ gloriæ, & ſuperbiæ turrim, habitantes etiam in eis impias cogitationes. Cæterùm Dominus, eorum concordiam metu gehennæ confundit ac diuidit: dum cogit principatum tenentem animam ſentire & loqui aliena & contraria corpori. Ex quo metu oritur illis diuiſio, eò quòd prudentia carnis inimica ſit Deo, & legi diuinæ non ſit ſubiecta.

22. Debemus opera noſtra quotidiana ſingu

ſingulis horis ponderare & obſeruare:eáque veſpertino tempore,pro virili,neceſſitatum habita ratione, beneficio pœnitentiæ alleuare,ſi quidem, fauente Deo, vitium ſuperare volumus.Animaduertendum eſt etiam, an vniuerſa opera noſtra externa coram Deo conſpicua,ex ſententia diuina peragantur:hac etiam ſolùm de cauſa,ne irrationali modo ſubripiamur à ſenſibus.

23. Si, opitulante Deo, ex temperantia noſtra hoc lucri quotidie fecerimus, non debemus ſine diſcrimine conuerſari, ne damnum ex variis conuerſationibus erroneis contrahamus: ſed potiùs amabili & dulci virtutis quæſtu & honeſtate contenti vanas conuerſationes contemnere debemus.

24. Iuſta ratione triplicem animæ facultatem mouere debemus ſecundum naturam,quemadmodum à Deo creata eſt. Vim equidem iraſcendi moueamus aduerſus externum noſtrum hominem, & contra ſatanam ſerpentẽ.ᵃIraſcimini,inquit,aduerſus ,, peccatùm, hoc eſt,inter cæteros ipſi diabolo. Iraſcimini,ait,ne peccetis in Deum. At cupiditatis facultatem mouere conuenit erga Deum & virtutem. Rationalem autem animæ partem in eo collocabimus ordine,

ordine,vt his ambabus ſapienter & diſcretè præcipiat, arguat, plectat, & nihilominus, vt rex ſeruis, imperet. Itaque ratio quæ ſecundum Deum viget in nobis moderatur illas. Et quamuis affectiones aduerſus rationem tumultuentur, & dominari nitantur,rationem tamen his præficiemus.Inquit
„ enim frater Domini. [b] Si quis in verbo
„ non offendit, hic perfectus eſt vir, &c.
Ita vt verè dicamus,omnem iniquitatem & omne peccatum, & rurſum virtutem omnem atque iuſtitiam, per haſce tres perfici.

[a] *Pſal. 4. b*
[b] *Iacob. 3. a*

25. Tunc obtenebratur animus, & ſine fructu manet, quando ſæculares ſermones loquitur,aut cum illis ab intellectu ſuſceptis confabulatur: aut quando vanè rebus quibuſdam ſenſilibus vnà cum mente corpus occupatur: aut monachus vanitatibus ſeipſum tradit. Mox enim, etiam dum hæc agit,perdit feruorem,compunctionem, liberam in Deo fiduciam, atque notitiam. Nam quanto diligentiùs obſeruamus animum, tanto magis illuſtramur: & quanto minùs attendimus, tanto maioribus obruimur tenebris.

26. Qui

26. Qui quotidie mentis pacem & quietem proſequitur & quærit, is ſenſibile quiduis facilè contemnit, ne fruſtra laboret. Quòd ſi propriam conſcientiam eludat, mortifero obliuionis ſomno acerbè dormiet: quo ne dormiat, ſanctus[a] Dauid precatur. Ait enim Apoſtolus,[b] Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi.

[a] *Pſal.* 12. *a*
[b] *Iac.* 4. *d*

27. Reuertitur autem animus ab incuria in proprium ordinem & temperantiam, ſi denuo beneficium diligentiæ conſequatur: & ſi actiuam mentis noſtræ facultatem rurſum collocemus in feruenti ſtudio.

28. Aſinus molaris non progreditur extra circulum, in quo detinetur alligatus. Nec mẽs, quæ non caſtigat ſui partes interiores, proficiet in virtute perfectrice: ſed oculis internis perpetuò excæcata non poteſt intueri virtutem, nec Ieſum lumine fulgentem.

29. Equus ferox & contumax cùm exceperit ſeſſorem, ſubſilit: mens verò voluptati dedita, vel ſola limina ingrediens delectabitur lumine diuino conceptionibus liberata: & ea, ſibiipſi renuntians, ex philo-

ſophica

ſophica facultate mentis actiua progredietur ad vim arcanam, arcanorum & virtutum contemplatricem. Et cùm imam profunditatem infinitarum notitiarum diuinarum animo fuerit aſſecuta, videbitur Deus Deorum, quantum permittitur animo. Vnde mens attonita glorificat amantiſſimè Deum conſpectum & conſpicientem: qui vtraque de cauſa aſſiduè intuentem ſaluat.

30. Cor tranquillum, emendatum & noſcendi peritum ſcrutabitur valde profunda: & auris quietæ mentis efficietur à Deo cappax audiendi immenſa.

31. Viator breui profecturus longam, tranſitu difficilem & moleſtam viam, ſuſpicans etiam ne diuertendo erret, ſigna quædam, viæ duces, in ſua profectione defigit, quæ facilem ſibi parent reditum ad ſua. Vir autem, qui ſobriè incedit, quæ audierit, notabit: idem etiam ipſe obſeruans.

32. Sed viatori quidem reditus, vnde egreſſus eſt, lætitiam gignit: ſobrio autem viro regreſſus ad ea quæ à tergo reliquit, eſt animæ rationalis interitus, ac indicium defectionis ab operibus, ſermonibus, & cogitationibus Deo gratis. Is itaque tempore ſomni lethalis animæ habiturus eſt cogitationes, inſtar aculeorum excitantes eum,

commo

commemoratione crapulæ multæ, & ignauiæ, naſcentis è negligentia.

33 Cùm incidimus in tribulationes, deſponſiones animi ac deſperationes, verba Dauidis in nobisipſi exequi debemus, [a] effundere in conſpectu Dei corda noſtra, precationem & afflictionem noſtram, vt eſt, Domino denuntiare. Confitemur enim Deo tanquam ea quæ circa nos ſunt, ſapienter gubernanti, & qui tribulationem cum fructu leuem efficere poteſt, & liberare nos ab interitu & corruptibili moleſtia. [a] *Pſal.* 141. *a*.

34. Ira ſiquidem aduerſus homines præter naturam emota, & triſtitiam non ſecundum Deum, & tædium gignit: quæ pariter corrumpunt bonas & eruditas cogitationes: & per confeſſionem diſſipantur à Domino lætitiam inferente.

35. Cogitationes in animo, vel nobis inuitis fixas & conſiſtentes, delere ſolet deprecatio erga Ieſum, ex intimis animi conceptibus orta cum ſobrietate.

36. Cùm angimur multitudine cogitationum irrationalium, leuari dolorem & recreari nos ſentiemus, ſi verè, & omni affectu depoſito, noſipſos accuſemus: aut ſi Domino, velut homini, annuntiemus om-

nia.

nia. Hac duplici ratione, & non aliter recreationem omnimodam nanciſcemur. Sin exiſtimemus, velut porrecta manu, Deum authorem rerum, & horum eſſe cauſam,& oblato pugno rependi nobis cognoſcemus „ illud : Qui habet aures audiendi,audiat, inquit Dominus. [a] *Matth.* 11.*b*

37. Mentis imaginem à patribus accepit legiſlator Moſes,qui Deum videt in rubo, vultu illuſtratur, Deus Pharaonis à Deo Deorum conſtituitur, flegellat Ægyptum, educit Iſraëlem, & leges ſancit.quæ quidem tropicè ſumpta,ſunt ſecundũ ſpiritum, effectus mentis & prærogatiuæ.

38. Aaron autem legiſlatoris frater, erat imago hominis externi. Nos ergo ſubinferentes expoſtulationes iracundas, quemadmodum Moſes in Aaronem delinquentem, „ dicamus, Qua te iniuria affecit Iſraël, „ quòd tam citò ſeduxeris eos à Domino „ Deo viuo omnipotente?

39. Quod etiam, præter omnia alia eius beneficia,nos docuit Dominus,ſuſcitaturus Lazarum à mortuis,ſeuera comminatione refrænandam eſſe mollitiem & effuſionem animæ: & habitum animi conſtantem amplectendum. Quo pacto, nempe ſi nobis ipſis indignemur, fiet, vt amore ſui

ſui, vana gloria, & ſuperbia, liberetur anima.

40. Vt ergo non poſſumus abſque magna nauigatione profundum maris traiicere, ita fieri nequit, vt expellamus impetum cogitationis prauæ, citra inuocationem Ieſu Chriſti.

41. Reluctatio quidem præcludere ſolet cogitationes: inuocatio autem Dei, expellit eas è corde. Suggeſtio enim in anima, formata per imaginationem rei ſenſibilis: verbi gratia, facies eius qui nos offendit, aut imaginatio pulchritudinis muliebris, auri, vel argenti, horum ſingula ſi concipiantur intellectu noſtro, ſtatim deprehenduntur cogitationes, quæ iniuriarum recordationis ſtupri, & auaritiæ viſionem in animo noſtro pepererunt. Ac ſi mens quidem noſtra perita fuerit, & erudita comparauerit habitum conſeruandi ſui, & perſpiciendi purè & in ſtatu ſereno, blandas illuſiones & inſidias malignorum: perfacilè ſtatim repulſione, contradictione, Ieſu Chriſti etiam imploratione, extinguit ignita tela diaboli, nec ſinit illuſionem affectionibus imbutam, ſibi cognatam aut familiarem fieri: aut cogitationes noſtras affectionum vinculo ſimiles imagini obiectæ formari,

aut

aut colloqui familiariter, aut longam animi moram & conſenſum contrahere, quibus neceſſariò ſuccedunt opera mala velut noctes diebus.

42. Sin expers fuerit ſolertis temperantiæ mens noſtra, confeſtim affectionũ interceſſione permiſcetur, cum re per imaginationem obiecta, qualiſcunque ea fuerit, diſputat cum ea, interrogationes ſceleſtas excipit, & dat reſponſiones: túmque fit, vt promiſcuè verſentur cogitationes noſtræ cum illuſione diabolica: illa, tam viribus quàm numero vehementiùs augeſcente, quò amabilis, ſpecioſa & grata appareat illam admittenti & deprædato animo. Cui idem contingit, quemadmodum cùm in campeſtri quodam loco canis apparet, & ibi ſint agni nuper nati: hi, cùm ſint innoxij & puſilli, ad eum, quem conſpexerunt, frequenter curſitant, velut ad propriam matrem: nihil ex acceſſu ad canem lucrantes, quàm vt eius ſordes duntaxat & malum odorem referant. Ad eundem modum cogitationes noſtræ præcurrunt imperitè ad cunctas dæmoniacas illuſiones animum ingredientes: quibus cùm permixtæ fuerint, vt dixi, videre licet eas ambas, Agamemnonis & Mene-

lai

lai more, Troiam euertere velle: ita & hæ expetunt,id quod gerendum eſt, miniſterio corporis ad effectum perducere, iuxta illud quod ſibi præ dilectionis affectu ex ſuggeſtione diabolica formoſum & ſuaue viſum fuerit: & ſic tum animæ delicta moliuntur intus, quod reliquum eſt. Verùm neceſſe eſt,eodem momento interiora cordis ab illis educere.

43. Animus enim eſt quippiam ſimplex & innoxium: qui facilè ſectatur imaginationes, & ab illuſionibus malignis ægrè ſe continet: niſi habuerit, qui eum perpetuò coërceat, & refrænet animæ facultatem, quæ ſolet imperare cogitationibus & affectionibus.

44. Contemplatio & cognitio natura ſolent eſſe duces & authores exactæ vitæ: quoniam harum ope extollitur animus, vt in primis contemnat voluptates,& alia ſenſum oblectantia,tanquam leuia.

45. Viuendi modus ſui obſeruātiſſimus, qui dirigitur ex ſententia Ieſu Chriſti,contemplationis & cognitionis pater efficitur, & rurſus genitor aſcenſionum diuinarum, ac doctarum cogitationum, ſi fuerit humilitati coniugi adaptatus,vt inquit propheta „ diuinus Eſaias, [a] Qui ſuſtinent Dominũ,

„ mutabunt

„ mutabunt fortitudinem : & alti volabunt, & [a] expandentur à Domino, ait.

[a] *Eſa.* 40. *g.*

46. Durum ac difficile videtur hominibus, animum habere poſſe tranquillum ab omni cogitationum diſputatione. Et eſt ſanè arduum & laborioſum : quia non his ſolis oneroſum, qui nondum initiati bello, incorporeum neſciunt includere corpore & circunſcribere : ſed etiam iis, qui pugnam inteſtinam & incorpoream ſunt experti. Qui verò continua precatione toto pectore Ieſum complexus fuerit, non laborabit ſequens illum, vt ait propheta. idémque captus decore, oblectatione & ſuauitate Ieſu, non expetet diem humanum : hoſtéſque ſuos impios dæmones in circuitu ambulantes, non extimeſcet, alloquens eos pro foribus cordis ; & , opitulante Ieſu, expellens eos à tergo.

47. Anima quæ per obitum euolat in aëre ad portas cœleſtes, ſecum & ſupra ſe Ieſum habens, hoſtes ſuos illic non exhorreſcet : ſed fidenter, vt nunc, alloquetur tunc eos pro foribus ; modò ne ad deceſſum vſque ſuum fatigetur, diu noctúque clamando, Ieſum Chriſtum inuocare : qui proculdubio quàmprimùm vlciſcetur de eis, iuxta diuinam & minimè fallacem eius

promiſſionem, qua de iudice iniquo dixit, „ [a]Amen dico vobis, citò faciet vindictam: tam in hac vita, quàm poſt deceſſionem eius è corpore.

[a] *Luc.* 18. *b*

48. Spiritale mare traiiciens, confide in Ieſum. Intus enim myſticè ſonat illud in „ corde tuo, Ne timeas, puer mi Iacob, „ puſille Iſraël: ne metuas, vermis Iſraël. „ Ego pro te pugnabo. Si igitur Deus pro „ nobis, quis malignus contra nos? Deus inquam, qui beatos dixit, mundos corde: & lege ſanciuit, in mundis cordibus dulcem Ieſum purè, ſolum, & diuinitus incedere & inhabitare velle. Quapropter, vt diuinus [b] Paulus ait, ne deſinamus exer- „ cere animum ad pietatem. Re enim vera pietas meritò radicata eſt, quæ ſemina maligni radicitùs euellit. Ipſa pietas eſt via rationis, hoc eſt, rationalis facultatis ſiue ratiocinationis via. Nam ſecundum proprietatem linguæ Græcæ, via dicitur οἶμος & κέλευθος, quod eſt ratiocinatio.

[b] *Tim.* 4. *b*

„ 49. Dauidis ſententia, [a] Delectabi- „ tur in multitudine pacis, is qui non accipit perſonam hominis, nec iniuſtè iudicat in corde: ſiue formas à malignis ſpiri-

tibus

tibus oblatas non ſuſcipit, vnde concipiat peccatū:nec malè ſentit aut iudicat in terra cordis ſui, cùm iuſta rependat peccato. Summi enim & docti patres in ſcripturis ſuis ipſos dæmonas, ob ſerendarum cogitationum vim, vocauerunt homines. Cuius generis eſt Euangelium, in quo Domi-
„ nus ait, [b] Inimicus homo hoc fecit, &
„ tritico permiſcuit zizania. Et quia talibus nequitiam perpetrantibus non ſtatim reluctamur, ideo etiam abſumimur cogitationibus.

[a] *Pſal. 36. b* [b] *Matth. 13. d*

50. Mentis attentionem adminiſtraturi, ſi temperantiæ himilitatem aptemus, & reluctationi iungamus precationem, via intellectus rectè incedemus:domum cordis noſtri adorādo&ſancto nomine Ieſu Chriſti,velut lampade lucis,decorantes,exornātes&nequitias expurgantes.Sin confidimus in ſola temperantia & obſeruatione noſtra, ſtatim vt impellemur ab hoſtibus, corruemus euerſi. Et expugnabunt nos deceptores illi verſutiſſimi, & haſta valida, nomine Ieſu Chriſti carentes, ſuis retibus,nempe malignis excogitationibus, faciliùs & vehementiùs nos informabunt & ſigillabunt. Solus enim colendus ille gladius,

 nomen

nomen inquam Ieſu, in ſtabili corde ſæpiùs reuolutus, poteſt contorquere & abſcindere illos, adurere inquam & ad latebras cogere, velut ignis ſtipulam. Quinetiam, re ſatis ante oculos ſubiecta, certiorem facit peritiſſimum certantis animũ, nempe auxiliatorem & omnis illuſionis diabolicæ purgatorem eſſe Deum: cui cedunt & ſubijciuntur omnia.

51. Temperantiæ verò opus non intermittendum, & animæ ſummum lucrum & emolumentum eſt, perſpicere cogitationũ imaginationes, cùm primùm formantur in mentem. Reluctationis autem, eſt deprehendere & indicare cogitationem, quæ per imaginationem rei cuiuſdam ſenſibilis, aërem mentis noſtræ ingredi nititur. Cæterùm nihil eſt, quod tam citò extinguat & diſſoluat omnem aduerſariorum conceptionem, omnem ſermonem, omne viſum, omnem ſtatuam, omne idolum, & omnẽ reprobum titulum, quàm inuocatio Domini. Ac nos quidem ipſi conſpicimus in animo, de illis, potentiâ Ieſu ſummi Dei noſtri, tum victoriam dari, tum noſtram, qui humiles, exiles, & inutiles ſumus, vltione ſummi.

52. Ignoramus plerique, vniuerſas cogita

gitationes nihil aliud eſſe, præterquam ſolas imaginationes ſenſilium & mundanarum rerũ.Quòd ſi ſobrij precibus immoremur, precatio priuat animum omni craſſa ſordidarum cogitationum imaginatione. Perſpicuas etiam ipſa facit hoſtium artes:& declarat, ingens ex precibus & temperan-
„ tia lucrum oriri.[a] Veruntamen oculis
„ tuis conſiderabis, & retributionem pec-
„ catorum ſpiritalium animo etiam tu ip-
„ ſe videbis, & conſiderabis,inquit Dauid modulator diuinus.

[a] *Pſal. 90. b*

53. Perpetuam, ſi fieri poteſt, mortis geſtemus memoriam: qua curarum, vanitatum omnium, & reliquorum quæ ſunt in nobis, depoſitio naſcitur: conſeruatio etiam mentis, & aſſidua precatio, alienatio item ab omni corporis affectu, execratio peccati, ac propemodum, ſi verum dicere oportet, virtus omnis ex ea prodiens ſcaturit. Quamobrem ipſo facto, tanquam propria ſpiratione, ſi fieri poteſt,vtamur ea.

54. Mens procul ab illuſionibus alienata, tandem diuinas & myſteriis plenas cõceptiones pariet, exultans in medio ſui, quemadmodum tranquillo mari exiliunt piſces, & demiſſo capite delphini ſubſul-

tant. Et leui quidem aura perflatur mare:
„ abyſſus autẽ cordis,ſpiritu ſancto.[a] Quo-
„ niam autem eſtis, ait, filij Dei, miſit
„ Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra
„ clamantem: Abba, pater.

[a] *Galat*. 4.*a*

55. De opere ſpiritali hæſitabit, & ab eo alienus erit omnis monachus, qui temperantiam animi antè non adeptus fuerit, aut ignorauerit eius dignitatem: aut ſcierit quidem, ſed ſocordia victus eam exerçere non poſſit. Qua procul dubio dubitatione liberabitur, vbi mentis obſeruationẽ aggreſſus fuerit: quæ & eſt & dicitur philoſophia mentis actiua: quemadmodum viam appellauit, qui dixit.[a] Ego ſum via, reſurrectio, & vita.

[a] *Ioan*. 1.*c*

56. Denuo hæſitabit, attendens abyſſũ cogitationum, & multitudinẽ paruulorum babyloniorum. Sed hanc etiam hæſitationem ſoluit Chriſtus, dummodo ei velut animi fundamento continenter innitamur.
„ Vniuerſos autem[a] babylonios infantu-
„ los huic petræ tanquam pauimento al-
„ lidimus, implentes, [b] iuxta eloquium,
„ deſiderium noſtrum ex ipſis. [c] Qui enim,
„ inquit, cuſtodit præceptum, non expe-
rietur

„ rietur quicquam mali. [c] Quia ſine me,
„ ait, nihil poteſtis facere.

[a] *Pſal.* 136.*b* [b] *Pſal.* 126.*b.* [c] *Eccl.*8.*a* [d] *Ioan.* 15.*a*

57. Hic profectò verus eſt monachus, qui rectè temperantiam exercet. Et hic verè tẽperans eſt, qui monachus eſt animo.

58. Vita hominum protenditur, per annos, menſes, hebdomadas, dies, horas, noctes, & momenta, reuoluta. Quamobrem vnà cum iis oportebat noſtras ſecũdum virtutem operationes protendere: tẽperantiam dico, precationem, ſuauitatem cordis, cum impigra quiete vſque ad exitum noſtrum.

59. Obueniet enim nobis terribilis hora mortis: obueniet, nec effugere licebit. Atque vtinam tum veniens princeps mundi & aëris, iniquitates noſtras reperiat exiguas & leues: ne deprehendatur verax, & fruſtrà lugeamus.[a] Ille enim ſeruus, qui cognouit
„ voluntatem Domini ſui, & non fecit ſe-
„ cundum voluntatem eius (tanquam ſer-
„ uus) vapulabit multis, inquit.

[a] *Luc.* 12.*f*

60. Væ perditis corde, ait. Et quid fa-
„ cient, cum inſpicere cœperit [b] Dominus?
Idcirco, fratres, nobis elaborandum.

[b] *Eccleſ.* 2. *c*

 61. Co

61. Cogitationibus ſimplicibus & affectione vacuis, ferè ſuccedunt aliæ affectionum plenæ : perinde ac ſerpens ſequitur columbam ad pullos ſuos accedentem : vt diuturna experientia & obſeruatione conperimus. Ac, vt opinor, priores cogitationes paſterioribus præbent aditum : & affectu carentes, affectionem ſectantibus.

62. Quandoquidem homo bifariam diuidendus eſt. Partiri enim debemus, vt dixi, in voluntatem, & intellectum ſapientiſſimum. Horum qui erit inimicus, ſine dubio ipſius hominis irreconciliabilis hoſtis erit. Quo igitur affectu eſſe poteſt quis erga eum, à quo nimis acerbè & frequenter ſit afflictus : & ita, vt etiam grauiore ſit affectus iniuria : ſi quidem nos rectè gerere volumus iuxta ſummum & primum mandatum ? Dico ſanè, illum Chriſti conuerſationem imitari debere, beatam videlicet humilitatem Dei, quam incarnatus expreſſit, dum in mundo verſaretur. Hinc Apoſtolus ait, [a] Quis me liberabit de cor-
» pore mortis huius ? Legi enim Dei non
» ſubiicitur. Vt autem oſtenderet, ſubdere corpus voluntati diuinæ, eſſe de numero eorum quæ ſunt in poteſtate noſtra, dixit, [b] Si enim noſipſos diiudicaremus, non

» non vtique iudicaremur; dum iudica-
» mur autem, à Domino corripimur,

[a] *Rom. 7. d* [b] *1. Cor. 11. g.*

63 Initium fertilitatis, eſt flos: conſeruandæ verò mentis principium, eſt temperantia à cibis & potibus: quaruncunque etiam cogitationum abnegatio & abſtinentia, necnon tranquilitas cordis.

64. Cùm ſumus in Chriſto Ieſu firmati, & ſub tutela temperantiæ educari cœperimus, apparet nobis in animo primùm velut lampas, quæ quaſi manu mentis à nobis teneatur, animi noſtri ſemitas dirigit. Deinde, tanquam luna integrè lucens circumuoluitur in firmamento cordis: poſteà verò nobis apparet, vt ſol, Ieſus radiorum inſtar ſolarium iuſtitiam emittens, oſtendens ſcilicet ſeipſum, vt ille, & ſpeculationum ſuiipſius præclara lumina.

65. Iſthæc myſticè reuelat animo obtemperanti præcepto eius, quod dicit, [a] Et
,, circoncidetis, inquit, duritiam cordis
,, veſtri. Temperantia quoque hominis diligenter exculta, ſublimes docet intelligẽtias, vt dictum eſt: quia numen diuinum perſonam non accipit. Vnde [b] Dominus ait,
,, Audite me & intelligite, Habẽti dabitur,
,, & abundabit: ei autem qui non habet,

„ & quod videtur habere, auferetur ab
„ eo. Et, Diligentibus [c] Deum,omnia co-
„ operantur in bonum. quantò magis certè cooperabuntur ei virtutes?

[a] *Deut.* 10. *d*
[b] *Matth.* 25. *e*
[c] *Rom.* 8. *c*

66. Nauis multa milia non perambulabit, abſque aqua: ita conſeruatio mentis citra temperantiam iunctam humilitati, & implorationi Ieſu Chriſti aſſiduæ, nequaquam proficiet.

67. Fundamentum domus, ſunt lapides: huius autem virtutis fundamenta & tecta ſunt ſanctum & adorandum nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti. Itaque gubernator nauis imprudens, qui tempore procellæ nautis expulſis, remis & velis in mare projectis, dormit, facilè naufragium facit. Faciliùs autem anima demergetur à dæmonibus, quæ & temperantiam negligit, & ingruentibus ſuggeſtionibus inuocare nomen Ieſu Chriſti non curat.

68. Quod ſcimus, ſcriptis dicimus: quod vidimus, dum viam tranſigeremus, teſtificamur volentibus; ſi quidem excipere di-
„ cta vobis libeat. [a] quia ipſe dixit, Si
„ quis in me non manſerit, mittetur foras,
ſicut

„ ſicut palmes: & colligunt eum, & in
„ ignem mittunt, & ardet. Qui autem
„ manet in me, & ego ineo. Nam ſicut ſol
abſque lumine, ſplendere non poteſt: ita
cor purgari non poteſt ſordibus perimentium cogitationum, ſine Chriſti inuocatione, qua vtimur, velut propria ſpiratione. Illud enim lumen, hæ verò tenebræ:& ille quidem Deus ac Dominus, hæ verò dæmonum ancillæ.

a *Ioan.* 15.a

69. Cuſtodia mentis germano & vero nomine lucipara, fulguripara, lumen emittens, & ignifera vocitetur. Superat enim, vt verum dicamus, infinitas res corporeas, & virtutes pleráſque. Qua de cauſa virtus iſta claris nominibus eſt appelláda, ob ſplédida lumina, quæ naſcuntur ex ea: quorũ amore capiuntur, per Ieſum Chriſtum euadere poſſunt ex peccatoribus, inutilibus, inquinatis, ignotis & inſipientibus & iniquis: iuſti, homines frugi, puri, ſancti, & ſapientes. neque id ſolùm, ſed etiam eueniet vt myſtica ſpeculentur: & vbi ſpeculatiui fuerint effecti, vt puriſſimo & infinito lumine traiiciantur, & exacuantur ab ipſo arcanis acuminibus: & cum ipſo habitant & conuerſantur, quia guſtauerunt,

quòd ſuauis eſt Dominus : vt in talibus protangelis clarè impleatur illud diuini
„ Dauidis, [b] Veruntamen iuſti confitebũ-
„ tur nomini tuo : & habitabunt recti cũ vultu tuo. Re enim vera, re inquam vera, hi ſoli ſincerè inuocant, & confitentur Deo : cum quo colloqui expetunt, amantes eum.

[b] *Pſal.* 139. *b.*

70. Væ interiori homini, propter exteriorem. Grauem enim moleſtiam internus homo contrahet ab externis ſenſibus : tum ille moleſtiâ affectus, flagellis chaſtigabit eos. Qui executus eſt quod habet littera, iam nouit quod theoremate continetur.

71. Si, ex ſententia patrum, interior noſter homo ſit temperans, etiam exteriorem poteſt conſeruare. Cæterùm nos & malorum effectores dæmones, ambo ſimul perpetramus peccata. Ac hi quidem in cogitationibus duntaxat ſiue deſcriptionibus imaginatoriis pro arbitrio formant in animo peccatum : nos autem & cogitationibus intus, & extrà operibus ipſis. Nam cùm craſſitudine corporis dæmones careât, cogitationibus ſolis, machinatione, atque circumuentione vtuntur: & perinde nobis ac ſibi procurant ſupplicium. Quòd ſi exitiales

tiales illi molis corporeæ non eſſent expertes; etiam factis ipſis peccare non deſinerent: vt qui ad impiè agendum paratam ſemper ſeruent intentionem.

72. Sola precatio perimit, & in cinerem redigit eorum fraudes: nempe Ieſus Deus & Dei filius à nobis continenter & ſine hæſitatione inuocatus: qui prorſus eis non permittit, vt vel initium incurſionis ſuæ (quam etiam impreſſionem vocant) aut formam ſuboſtendant menti in ſpeculo intellectus: vel quoſdam ſermones habeãt cum corde. Forma porrò dæmoniaca, quæ nullas habet vires in cor, erit etiam vacua cogitationibus, vt diximus: quia cogitationibus intercedentibus animam clàm alloqui ſolet, & edocere vitia.

73. Quamobrem aſſiduarum precum auxilio, purgatur aër mentis noſtræ nebulis obſcuris, & ventis nequiſſimorum ſpirituũ. Mentis autem aëre purgato, non poteſt, inquit, ei non lucere diuinum Ieſu lumen: modò ne vana gloria, ſuperbia, & oſtentatione ſimus inflati, & leuiores ad captanda quæ ſunt incomprehenſibilia: & ab Ieſu reperiamur non eſſe opitulatione digni, eò quòd Chriſtus index humilitatis oderit vitia illa.

74. Demus ergo colla duobus iſtis, orationi

tioni & humilitati: quæ adhibitâ temperantiâ ſunt aduerſus dæmones armata, perinde ac flammeus enſis. Quandiu enim ſic agemus, ſingulis diebus & horis læti, myſticum feſtum animo celebrare poterimus.

75. Octo generaliores vitioſæ cogitationes, quæ cogitationem omnem complectuntur, & vnde cunctæ naſcuntur (quemadmodum ex Ioue & Iunone omnis dæmon execrandus, Deus Græcorum, vt ferunt illorum fabulæ) omnes redeunt ad fores animi. Quæ cùm inuenerint mentem cuſtodia deſtitutam, ſigillatim ingrediũtur, ſuo quæque tempore. Quæcunque enim illarum octo, cogitatio aſcendens in animum, introduxerit exercitum, nempe gregem, obſcœnarum cogitationũ, ea, obtenebrata mente, prouocat corpus, conuerſa ad opera turpia perpetranda.

76. Quapropter qui caput ſerpentis obſeruauerit, & iracundè reluctando, verbis animoſis vſus, iniecto pugno in faciem pulſauerit hoſtem (in quo, modò quiſpiam alius laborabat)[a] primus de fructibus percipere debet, vt placet Paulo. Qui ergo contundit caput, is & multas cogitationes prauas euitat, & opera peiora. Fitque tum, vt tranquillus permaneat animus: cuius excitationem

aduer

aduerſus cogitationes probat Deus, & remunerandi cauſa docet eum,quo pacto impugnantes ſe ſuperare queat: & qua ratione cor paulatim purgare oporteat cogitationibus maculantibus & inquinantibus interiorem hominē,ſicut ait Dominus, [b] De corde ,, exeunt cogitationes malæ, adulteria,for- ,, nicationes:& hæc ſunt, quæ coinquinant hominem.

[a] 2. *Tim.* 2. *a*

[b] *Matt.* 15. *b*

77. Hac itaque ratione poteſt anima,per Dominum, retinere ſuam ipſius venuſtatē, pulchritudinem,& rectitudinem, ſicut initio creata eſt ad ſimilitudinem Dei, valde ſpecioſa & recta,vt inquit magnus Domini ,, ſeruus Antonius,Animæ, quæ ſecundum ,, naturam regitur, vis intellectiua conſtat ,, virtute. Et iterum dixit,Rectam eſſe ani- ,, mam, hoc eſt, ipſam habere facultatem ,, intellectiuam naturæ conſentaneam, vti ,, creata eſt.Et ſtatim paucis interiectis ait, ,, Purgato ſimus animo. Ego enim credo, ,, animam quacunque parte purgatam, & ,, natura ſua conſtantem,poſſe perſpicacem ,, effectam, acutiùs & remotiora videre, ,, quàm poſſint dæmones,quippe quæ Do- ,, minum ſibi reuelantem habeat. Hæc dicit

cit inclytus Antonius, authore Athanaſio Magno, in vita Antonij.

78. Quæuis cogitatio eſt imaginatio quæ oritur in mente ex perceptione ſenſitiua rei cuiuſdam. Cùm enim [a] Aſſyrius ſit ſpiritus, non poteſt aliter fallere, quàm ſi vtatur iis quæ ſunt noſtris ſenſibus & moribus familiaria.

[a] *Per aſſyrium, intelligit diabolum.*

79. Vt nos, qui ſumus homines, aues in aëre volantes aſſequi non poſſumus, aut, quemadmodum illæ, ſurſum volare, cùm hanc vim natura noſtra non habeat: ita ſine frequenti & temperantiæ plena oratione, aut vehementi oculorum mentis in Deum intentione, non potes fortuitas cogitationes diabolicas ſuperare. Sin minus, terram ferias.

80. Profectò ſi verè cupis cingere pudore cogitationes, & eas benignè componere, temperantem etiam animum facilè comparare, deprecatio Ieſu adhæreat ſpirationi tuæ: & hoc intra paucos dies fieri perſpicies.

81. Vt enim literæ ſcribi nequeunt in aere, eò quòd in corpore quodam neceſſe habent ſubſiſtere, vt duraturæ ſeruentur: ita per laborioſam temperantiam noſtrám precationi Ieſu Chriſti inhæreamus: vt præ-

clara

clara virtus temperantiæ cum ipſo perduret & maneat,& per ipſum nobis conſeruetur in ſæcula, adeò vt auferri non poſſit.

82. Verſa in Dominum opera tua,& inuenies gratiam, inquit. Ne de nobis etiam
„ dicat propheta, [a] Propè es tu Domine in
„ ore ipſorum:ſed procul à renibus eorum.
Nullus alius præter Ieſum reddet cor tuum pacatum & tranquillum ab affectionibus: præter Ieſum inquam Chriſtum, qui longè diſtantia coniungit.

[a] *Ierem.* 12. *a*

83. Vtraque pariter ſpectant ad animam, tum mentales cogitationum allocutiones, tum exteriores conuerſationes & confabulationes otioſæ. Iuſtiſſima porrò ſecundum Deum ratione qui declinare vult animi damnum, debet ambobus tam hominibus quàm cogitationibus otioſa verba ſectantibus ſuccenſere, ne mens obſcurata perturbet temperantiam: quoniam obliuione obtenebrati perdimus animum.

84. Qui omni ſtudio puritatem cordis ſemper conſeruat,legiſlatorem illius Chriſtum habiturus eſt pro magiſtro:qui myſticè ipſi voluntatem ſuam eloquatur. [a] Audiam
„ quid loquatur in me Dominus Deus, in-
„ quit Dauid,dum declarat iſtud.Explicans

autem

autem accuratam animi apud ſeipſum commentationem,de ſpirituali bello ac de remuneratoria Dei protectione,dicebat:Et dicet
„ homo, [b] Erítne fructus iuſto? Deinde ex ea commentatione conſilium vtrinque excerptum quaſi depromens,ait: [c] Vtique eſt
„ Deus iudicans eos in terra; peruerſos
„ ſcilicet dæmonas in terra cordis noſtri. [d]
„ Et alibi dicit,Accedet homo ad cor altũ:
„ &exaltabitur Deus.Tunc plagę eorũ nobis cenſebuntur eſſe ſagittæ paruulorum.

[a] *Pſal.* 84. *a*

[b] *Pſal.* 57. *b*

[c] *Ibidem.*

[d] *Pſal.* 63. *b*

85. Ex ſententia ſacri pſaltæ, corde ſapientię alligato ſemper degamus,ipſam Dei patris virtutem ac Dei ſapientiam Ieſum Chriſtum reſpirantes. Quòd ſi ob circunſtantiam quandam remiſſiores effecti,actiones animi neglexerimus,ſubſequenti denuo hora matutina lumbos mentis commodè perſtringentes,rurſum opus ipſum attingemus:non ignari,nullam nobis,qui nouimus quod bonum eſt, ſupereſſe excuſationem, niſi hoc ipſum peragamus.

86. Quemadmodũ cibi gignentes morbos,ſtatim vt in corpus ſunt iniecti,perturbant:

bant: at qui comedit, mox vt damnum ſentit,vomitorio quodam pharmaco confeſtim adhibito,manet illæſus:hoc pacto mẽs quando ſuſceptas cogitationes malas ebibit & manducauit,acerbitatem earum ſentit. Deprecatio verò Ieſu Chriſti,ex intimo corde proficiſcens, illas facilè euomit, & tandem expellit. Sicuti temperantes viros docuit & erudiuit,fauente Deo,rerum ſubiectarum perpeſſio & experientia.

87. Vnire ſtudeto ſpiraculo narium tuarum temperantiam, necnon nomen Ieſu, cum nullius ignara meditatione mortis, & humilitate, quia mirum in modum ambo iuuare ſolent.

88. Dixit Dominus, [a] Diſcite à me,quia „ mitis ſum,& humilis corde:& inuenietis „ requiem animabus veſtris.

[a] *Matt.* 11. *d*

„ 89. Dixit Dominus, [b] Quicunque ſeipſum humiliauerit, ſicut paruulus iſte, „ exaltabitur: qui autẽ ſeipſum exaltat,humiliabitur. Ame,inquit,diſcite.Vides,humilitatẽ eſſe diſciplinam. Propterea qui non eſt humilis, excidit à vita: quinetiam contrarius inuenietur.

[b] *Luc.* 18. *c*

90. Cùm itaque virtus omnis, corporis,
& animæ

& animæ miniſterio creetur, Dei porrò creaturæ ſint anima & corpus, quorum opera virtus, vt dixi, ſubſiſtit: quomodo non intolerabiliter inſanimus, de alienis corporis & animæ ornamentis gloriantes? vana gloria elati & inflati, ſuperbiæ, velut baculo arundineo, innitimur: atque præ iniquitate & dementia noſtra, horrendiſſimum illum tanquam infinitæ magnitudinis Deum noſtrum excitamus. Dominus ſuperbis reſiſtit.[a] Et cùm imitari Dominum in humilitate deberemus, cum inimico Domini ſuperbo Dæmone conciliamus amicitiam: eò quòd vanè glorioſa & arroganti opinione ducimur. Hac namque de cauſa Apoſtolus
„ dixit,[b] Quid habes, quod non accepiſti à
„ Deo? Num tu teipſum creaſti? Quòd ſi corpus & animam, ex quibus, in quibus, & per quæ conſiſtit omnis virtus, à Deo acceperis,[c] Quid gloriaris, quaſi non acceperis? Dominus enim eſt, qui tibi iſta largitus eſt.

a *Iacob.* 4. *b*

b 1. *Cor.* 4. *b*

c *Ibidem*

91. Nulla prorſus eſt alia cordis expurgandi ratio, qua & humilitatem & omne bonum è ſupernis in nos deſcendere comperimus, quàm ſi nullum demus planè locum

cum

cum cogitationibus oſtio imminentibus.

92. Cuſtodia enim mentis, quæ Deo fauente, & Dei ſolius auxilio perſeuerat in anima, ſapientiam comparat intellectui principatum obtinenti, in certaminibus Dei nutu ineundis, eiúſque cuſtodiæ participi, ſufficientiam non modicam præſtat, in rebus & ſermonibus Deo gratis cum iudicio regendis.

93. Pontificis ornamenta in veteri teſtamento manifeſta, erant præeuntes cordis puri figuræ: vt & nos laminam cordis obſeruemus, ne vllo modo nigreſcat peccato: ſed abſtergamus illud lachrymis, pœnitentia, & oratione. Mens enim res eſt quædam lubrica, quæ non facilè coercetur ab iniquis conceptionibus: nullóque negotio bonas & malas imaginationes rationali parti obiectas perinde ſectatur.

94. Profectò beatus eſt ille, cui ſic adhæret in animo deprecatio Ieſu, & qui ſine intermiſſione reſonat ipſum in corde, ſicut vnitur aer corporibus noſtris, aut flamma candelæ. Sol itaque tranſiens ſupra terram, diem efficiet: ſanctum autem ac reuerédum Domini Ieſu nomen, relucens in mente, contiguitate ſua innumerabiles, ſolis inſtar ſplendentis, procreabit conceptiones.

95. Et

95. Et diſſipatis quidem nubibus aër apparet purus: illuſiones autem ab Ieſu Chriſto ſole iuſtitiæ diſſipatæ & deletæ, ex vniuerſo mentis aëre per Ieſum illuſtrato, ſolent in ea producere conceptiones ſplendidas, & aſtrorum ſpeciem præ ſe ferentes. „ Nam ait Eccleſiaſtes,[a] Qui fiduciam ha-„ bent in Domino, intelligent veritatẽ: & „ qui fideles ſunt in dilectione, permanebũt „ in eo. Cui gloria in ſæcula. Amen.

[a] *Sapien. 3. b*

96. Præcedentibus quidem ſermonibus, quos in prima & ſecunda centuriis habuimus, quantum elaborandum ſit, pro ſacra mentis quiete comparanda, deſcripſimus, non velut ingenij noſtri culturam ſolam: ſed quæcunque diuini ſermones patrum diuina ſapientium nos docent de puritate mentis. Iam verò, vbi paucis verbis, quoad fieri poteſt, demonſtrauerimus, quantum oriatur lucrum ex conſeruatione mentis, finem dicendi faciemus.

97. Quod ſupereſt, ades-dum quicunque fueris, & ſequere me, ad contingendam beatam mentis conſeruationem, exoptans in ſpiritu dies videre bonos: & docebo te in Domino conſpicuam operationem & conuerſationem ſpiritalium poteſtatum.

98. Quo

98. Quoniam Angeli nulla capientur ſatietate laudandi creatoris, neque mens decertandi. Et quemadmodum illi corporis expertes de cibo nihil ſunt ſoliciti: ita hi, licet corpore prædit, non curant eſcam, modò in cœlum tranquillum animus ingrediatur.

99. Quo igitur modo ſupernæ poteſtates nulla tenentur cura pecuniarum aut poſſeſſionum: ita qui perſpicacem animæ facultatem expurgarunt, & compararunt habitum virtutis, haud curant, quàm malè torqueantur à ſpiritibus nequiſſimis. Et quo modo norunt illæ diuitias promotionis in Deum: ſic & hi perſpectum habent amorem in Deum, necnon intentionem & aſcenſionem dilectionis erga numen diuinum. Quinetiam amatoria & inexplebili aſcenſione dilatari, ob guſtum diuinum & deſiderium in exceſſu poſitum, non ſubſiſtent, donec ad Seraphin perueniant: neque fatigabuntur à diligenti obſeruatione mentis, & exaltatione chariſſima, donec angeli fiant per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

100. Non eſt venenum, quod ſuperet venenum aſpidis & baſiliſci: neque vllum eſt vitium, quod vincat φιλαυτίας vitium.

Fructus

Fructus porrò philautiæ habes per omnium ora volitantes: qui ſunt hi, laudes ſui in animo latentes, rerum omnium diſplicentia, ventris ingluuies, ſtuprum, vana gloria, & omnium vertex ſuperbia: quæ quidem nouit è cœlis expellere non ſolùm homines, ſed etiam angelos, & caliginem pro luce obtrudere. Hæc ad te ſcribit, Theodule, qui cognominatur Heſychius, licet operationem ipſam ſi ementitus: at non omnino fortaſſe, quatenus ſcilicet Deus donauit. Qui in Patre & Filio & Spiritu ſancto, laudatur & glorificatur, à rationali natura Angelorum & hominum: necnon ab vniuerſa creatura, quam fabricauit arcana Trinitas, vnus Deus. Cuius regnum præclarum vtinam & nos conſequamur, precibus puriſſimæ Deiparæ, ſanctorúmque patrum noſtrorum. Cui Deo incomprehenſibili gloria ſempiterna. Amen.

FINIS.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

Digitized by Google

5 8-1

Digitized by Google